annes Igneus *in l. 3. §. ſubvenitur, n.70. ff. ad Syllan.* & Gomezius 3. *tom. c. 9. n. 11.* Imponitur tamen in ſpecie dictæ legis in eos pœna extraordinaria judicis arbitrio imponenda; non autem pœna capitalis, quia actu, & re ipſa non fregerunt carcerem, ſed tantum conſpiraverunt, & conſtituerunt frangere, ut notant ſupradicti auctores, & jure regio jam hodierna die deciſum ſtat, videlicet ut ſola conſpiratio ſine fuga non ſit ſufficiens ad pœnam capitalem, neque ad hoc, ut quis habeatur pro confeſſo; ut probat lex 13. *titul. 29. part.* 3. Denique non obſtat textus *in d. l. deſertorem*; nam procedit ſpecialiter, quia lex punit ipſam fugam tanquam ſpecificum delictum, non autem tamquam ſignum delicti, puta militem fugientem: quo modo etiam accipitur textus *in l. quid ſit fugitivus, ff. de ædil. edict.* totus titulus Codicis *de ſervis fugitivis, c. fin. & infra de regul.* & intelligendus eſt textus ſuppoſitis terminis habilibus, *in d. l. ſi libertinus 28. in fine, ff. de bonis libert.* ita docuit Felinus ubi ſupra, *n. 8.* Item etiam non obſtat textus *in d. l. impuberum, §. fin.* quia procedit in caſu, quo tantum agitur de probando crimine ſolius ſuſpicionis, videlicet, an aliquis ſit ſuſpectus, vel non: & ex iſta ſuſpicione ſola ſequitur aliquis effectus, ut in tutore, vel curatore; quia tunc fuga probata, ſtatim eſt probata ſuſpicio, ut docet Felinus ubi ſupra. Tandem non obſtat textus *in dict. authent. de exhibendis reis, §. ſi vero ſemel*: nam reſpondeo ibi non probari fugientem haberi pro confeſſo, ſed tantum fore ſui accuſatorem factum, propter ſuſpicionem, quæ ex fuga cauſatur: quæ quidem licet non ſit ſufficiens ad ſententiam proferendam, ſufficit tamen ad indicium, ut ſupra diximus. Colligit tamen Gloſſa ibi, verbo *Factum*, contra famulos fugientes, ut eo ipſo res amiſſas videantur ſubtraxiſſe: quam ſequuntur Gratianus *reg. 127. n.6.* Duennas *reg. 307. & 389.* & Maſcard. *de probat. concl. 819. n. 31. & concl. 822. per totam.*

C A P U T V.

a Gregorius *in Homilia*.

NOnne bene dicimus, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Reſpondit Jeſus: Ego dæmonium non habeo. Duo quippe illata fuerunt ei: unum negavit, alterum tacendo conceſſit.

N O T Æ.

1 a GRegorius.) Ita habetur in prima collectione, *ſub hoc tit. c. 6.* Ideſt Gregorius Magnus *in c. 8. B. Joannis, homil. 18.* ubi paulo poſt principium exponens verba illa: „ Ego dæmonium non habeo, *ait*: Quia enim Samaritanus „ interpretatur cuſtos, & ipſe veraciter cuſtos eſt, de quo „ Pſalmiſta ait: Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, in va„ num vigilant, qui cuſtodiunt eam. Et cui per Iſaiam di„ citur: Cuſtos quid de nocte? Cuſtos quid de nocte? Re„ ſpondere noluit Dominus: Samaritanus non ſum: ſed, E„ go dæmonium non habeo. Duo quippe ei illata fuerunt, „ unum negavit, aliud tacendo conceſſit. Cuſtos namque hu„ mani generis venerat: & ſi Samaritanum ſe non eſſe dice„ ret, eſſe ſe cuſtodem negaret. Sed tacuit quod recognovit, „ & patienter repulit quod dictum fallaciter audivit, di„ cens: Ego dæmonium non habeo. Deduxit ergo Magnus Doctor, quod qui ex duobus ſibi propoſitis aliud negat, alterum tacendo fatetur. D. Gregorio conſentiunt Origenes ibi, D. Aug. *tr. 43.* D. Hieronymus *ep. ad Aſellam.* P. Franc. Tolet. *in D. Joannem, d. c. 8. annot. 21.* Maldonatus *in Joannem, d. c. 9. n. 49. in princ.* Cujus ſententiæ rationem non quidem in ſenſu litterali, ſed morali, illam reddunt communiter Theologi poſitivi, Origenes, & Toletus, quia Samaritanus idem ſignificat ac cuſtos: unde cum Dominus noſter omnium cuſtos ſit, juxta illud Pſalmi 120. *Niſi Dominus cuſtodierit civitatem*; & *c. 21. Iſaiæ*, ideo tacite confeſſus fuit ſe eſſe Samaritanum. Ita etiam expoſuit Marinis *deciſ. 93.*

COMMENTARIUM.

2 Traditur concluſio. EX relatis D. Gregorii verbis communiter ſequens bimembris deducitur aſſertio: *Qui tacet, conſentit: & ſi ex duobus illatis alterum negat, reliquum affirmare præſumitur.* Priorem partem probat textus *in c. 2. de his quæ fiunt a Præl. c. qui tacet, c. is qui tacet*, ubi plura jura congerit Gloſſa, *de R. J. l. 6. l. item quæritur, §. penult. ff. locati, l. 2. §. voluntate, ff. ſolut. matrim. l. 2. ff. ad municip. l. 12. ff. de ſponſ. novell. 123. de ſanctiſſ. §. ſi ſervus, l. qui tacet* 142. ubi plura Cujacius, P. Faber, & Gothofredus, *ff. de R. J.* illuſtrant, exponuntque utramque partem Tiraq. *de retract. tit. 1. gloſſ. 9. n. 149.* Caſtro *de juſta hæretic. punit. l. 1. c. 4. column. penult.* Covarr. *de ſponſal. 2. part. c. 4. n. 4.* Soto *in 4. diſt. 27. q. 1.* Menochius *de arbitr. q. 74.* Sanchez *l. 1. de matrim. diſp. 5. n. 5.* P. Barboſa *in l. quæ dotis 17. ff. ſol. matrim.* alii congeſti a Barb. *in præſ. & axiom. 217.*

3 Impugnatur tradita aſſertio. Sed pro dubitandi ratione adverſus primam partem hujus aſſertionis ita inſurgo: Qui tacet, medium ſtatum eligit inter affirmantem, & negantem; unde evenit quod ille qui tacet, nec negare, nec conſentire videatur, *l. qui tacet 142. ff. de reg. jur. c. qui tacet 44. eod. tit. in 6.* ergo non recte aſſerimus, tacentem conſenſiſſe videri. Augetur hæc difficultas primo *ex l. 1. §. ſcientiam, ff. de tribut.* in illis verbis: “ Sci„ entiam hic eam accipimus, quæ habet & voluntatem; ſed „ ut ego puto, non voluntatem, ſed patientiam: non enim „ debet velle dominus, ſed non nolle. Quem textus cum Duareno *ad tit. ipſum, c. 2.* Cujacius *in parat. ad ipſum titul.* ita expendit tripliciter. Dominus ex contractu ſervi convenitur; vel enim dominus conſenſit ſervi ſui contractui, & tunc convenitur de peculio intra vires peculii, textus *in l. ſi quis ſervum 30. verſ. Etiam, ff. de peculio*, Pichard. *in §. actiones autem, de peculio, n. 92. Inſtit. de act.* vel ſervus contraxit domino volente, & tunc in ſolidum convenitur, *ex l. 1. & per totum ff. quod juſſu*, ut ibi tradit Cujacius in parat. vel tandem dominus ſciens tacet, & tunc convenitur actione tributoria, vel exercitoria, ita ut neque in ſolidum conveniatur, neque debitum totum ſibi valeat deducere, *l. 1. §. ſi is, verſ. Sed ſi ſcienter, ff. de exercitoria.* Ergo quia tacens non conſentit, nec idem eſt tacere, ac conſentire. Augetur ſecundo hæc difficultas *ex l. 2. C. ſi res aliena*, ubi qui rem ſuam ab alio pignori ſcivit, non aliter conſentire creditur, quam ſi hoc faciat in fraudem creditorum *ex leg. filius 8. in fine princip. ff. de procur. ex l. filius 18. ff. ad Maced. Clem. 1.* juncta ibi Gloſſa *de procur. l. fidejuſſor 26. ff. de pignor. leg. qui vas 49. §. vetare, ff. de furtis, l. in eo 45. §. invitum, de ritu nupt. l. invitum, ff. de ſervit. urban.* in quibus tacentes pro conſentientibus non habentur. Secunda etiam pars aſſertionis difficilis redditur ex eo, nam confeſſio, vel negatio fit verbis, vel ſignis æquipollentibus, juxta illud Apoſtoli *ad Corinth. c. 17. Ore autem fit confeſſio: c. cum pro parvulis, de conſecr. diſt. 4.* ſed qui de duobus interrogatus alterum confitetur, vel negat, circa aliud nulla verba profert, vel ſignum dat: igitur non conſentit. Accedit regula utriuſque juris, quæ dictat, quod is qui tacet, non fatetur, *l. qui tacet, de reg. jur. c. qui tacet, eod. tit. in 6.* Igitur cum tacens medium eligat inter confeſſionem, & negationem, non recte in præſenti docetur, tacentem pro confitente haberi.

4 Traduntur variæ ſententiæ. Ut his difficultatibus ſatisfaciant repetentes in præſenti & *in d. regula, qui tacet*, utriuſque juris varias adduxerunt diſtinctiones, inter quas eam adducit Gloſſa ultima in præſenti, videlicet inter caſum, in quo de amittenda re propria agitur, & inter eum, in quo rei amiſſio non vertitur. Primo caſu tacentem non conſentire, ſecundo vero pro conſentiente haberi aſſerunt. Ratio differentiæ ex eo provenit, quia in dubio nemo præſumitur jactare bona, quæ magno labore, & impenſis acquiſivit, juxta textus *in l. cum de indebito, verſ. Qui non, ff. de probat. c. ſuper hoc 5. de renunc.* Verum hæc Gloſſæ diſtinctio refellitur aperte *ex l. ſi ſervus 39. in fine, ff. de donat. inter*: ubi vir donavit uxori ſuæ ſervum, quem communem habebat cum fratribus, tacentibus ipſis: & reſpondet Conſultus, valere donationem quoad partem fructuum, quia tacendo donationi conſenſerunt. Et etiam convincitur ex textu *in l. fidejuſſor 26. §. 1. de pignor.* ubi filius, qui nomine patris pecuniam accepit ſub proprio chirographo, tacens, & conſentiens ſibi præjudicavit. Ergo etiam cum de amiſſione rei propriæ agitur, tacens conſentire videtur. Deinde quia multo majus præjudicium eſt, quod irrogatur vitæ, vel honori, quam quod in bonis ſequitur, juxta textus *in l. & ſervorum 10. in fine, ff. de pœnis, c. deteriores 6. q. 1.* ſed ſi præſens, ſcienſque taceat circa bonum vitæ, vel honoris, conſentire creditur, *c. ad conſultationem 15. verſ. Cum per hoc, de re jud.* Igitur idem dicendum eſt cum de amiſſione bonorum agitur. Non abſimilis diſtinctio eſt, quam communiter tradunt Bartol. *in l. quæ dotis, ff. ſolut. matrim.* & Jaſo ibi, Abbas *in c. non injuſte, n. 7. de procurat.* Covarr. *in rubric. de teſtam. 3. part. n. 13.* & alii, quos refert, & ſequitur P. Barboſa *in d. l. quæ dotis, n. 213.* qui diſcrimen conſtituunt inter favorabilia, & præjudicialia, ut ſcilicet in favorabilibus præſens, & tacens conſentire præſumatur, juxta præſentem textum, & legem *qui patitur 28. ff. mandati, l. ſi abſenti 4. ff. de rebus creditis*; ſecus vero in præjudicialibus, in quibus pro diſſentiente habetur; quo modo accipiunt textus *in l. filius 8. §. invitus, ff. de procur. l. qui vas 49. §. vetare, ff. de furtis, l. in eo 45. §. invitum, ff. de ritu nupt. l. invitum 4. ff. de ſervit. urban. c. ſi ſervus, 54. diſt. c. 2. de his quæ fiunt a Prælat. Clem. Sæpe*, ibi: *Non contradicentibus, de verb. ſign. leg. 4. §. ult. ff. de fidejuſſ. tut. l. 1. §. 2. verſ. Ceterum, de exercit.* Verum hæc diſtinctio etiam impugnatur primo ex hoc textu, ubi D. Gregorius generaliter docet, tacentem conſentire, nulla adducta differentia inter favorabile, & præjudiciale: quod etiam generaliter docet Bonifacius *in d. regula Qui tacet*: deinde quia ſi regula hæc non haberet locum in præjudicialibus, cum frequentius actus humani præjudiciales contingant, potius regula negative, quam affirmative concipienda erat, argumento textus *in l. nam ad ea, ff. de legibus.* Tandem refellitur hæc interpretatio ex pleriſque juris locis, in quibus cum agatur de præjudicialibus, ex taciturnitate inducitur conſenſus, ut *in l. 4. §. ult. ff. de fidejuſſ. tut. c. ſi ſervus, 54. diſt. c. 2. de his quæ fiunt a Prælat.*

5 Traditur ratio decidendi. Omiſſis igitur his, & aliis rationibus, præſentiſque textus interpretationibus, ſciendum eſt, inter conjecturas, ex quibus

bus voluntas eruitur, præſumiturque, præcipuam eſſe taciturnitatem; nam cum nobis natura inſitum ſit contradicere illis, quæ fieri nolumus, dum aliud ex conjecturis non deducitur, creditur quod qui ſciens, & prudens talem actum tacet, ipſo facto conſenſit, cum taciturnitas præbeat ſignum veroſimile complacentiæ, argumento textus *in c. ult. 23. q. 3. c. 2.* ibi: *Sciente, & non contradicente, l. 2. §. voluntate*, ibi: *Niſi evidenter contradicat, videtur conſentire; ff. ſolut. matrimon.* Unde cum in præſenti caſu non appareret contraria conjectura voluntatis, & taciturnitate Chriſti Domini inducitur conſenſus. Similiter taciturnitas ejus, pro quo aliquis fidejubet, inducit mandatum fidejubendi, *leg. fidejuſſa, C. mandati*: ſic taciturnitas legentis litteras, in quibus ſcribitur, quod eſt debitor ipſum obligat, *l. ſi fidem, ff. ad Maced.* & is contra quem ſententia lata eſt, ſi non appellat, ſed tacet, conſenſiſſe videtur. Aſconius Pedianus *2. in Verrem*, circa initium: „ Cum in jus ventum erat, dicebat accuſator apud Prætorem „ reo: Ajo te titulos ſpoliaſſe. Si tacuiſſet, lis ei æſtimaba„ tur, ut victo, & confeſſo: ſi negaſſet, petebatur a Magi„ ſtratu dies inquirendorum criminum, & inſtituebatur ac„ cuſatio. „ Alias his ſimilia congerunt exempla P. Faber, & Gothofredus *in d. l. qui tacet 142. ff. de R. J.* Pechius *in c. Qui tacet, eod. tit. in 6.* Secundæ partis hujus concluſionis ratio provenit ex eo, quia cum nos ducat naturalis propenſio ad conſentiendum his, in quæ nos ducit affectus: *l. iſti quidem, ff. quod metus cauſa c. afferte, hoc tit.* ideo qui ex duobus ſibi illatis unum negat, alterum fateri creditur, cum non contradicat.

6 Reſpondetur difficultatibus. Nec obſtant difficultates ſupra expenſæ. Non prima deducta ex dicta regula *Qui tacet*, ubi expreſſe docetur, eum qui tacet, nec fateri, neque utique eum negare videri: quoniam omiſſis traditis per Tiraq. *ubi ſupra*, P. Barb. *in l. 2. §. ult. a n. 1. ff. ſolut. matrim.* Fabrum, & Revardum *in d. regul. qui tacet*, dicendum eſt magnam differentiam verſari inter hæc duo, & fateri, vel negare; nam conſenſus importat complacentiam voluntatis circa media volita, juxta textus *in l. 1. ff. de pactis*: textus *in c. cum ſuper 23. in fine, de offic. deleg. l. 3. in fine, ff. de R. J.* negatio autem, vel affirmatio non verſatur formaliter circa illa, quæ volumus, ſed circa verum, vel falſum, quorum utrumque fortaſſe nolumus. Unde apparet diverſitas inter noſtram regulam, & regulam, *is qui tacet*, nam regula *is qui tacet*, tantum dicitur ex taciturnitate non præſumi confeſſionem, vel negationem; in præſenti vero ſolum docetur, præſumi conſenſum; ex rationibus ſupra traditis. Unde falſum eſt dicere, taciturnitatem eſſe medium inter conſenſum, & diſſenſum; quamvis verum ſit, medium eſſe inter affirmationem, vel negationem. Nec etiam obſtat textus *in d. l. 1. §. ſcientiam, ff. de tribut.* reſpondendum enim eſt cum Duareno *ad eumdem tit. c. 2. & ad tit. ff. quod juſſu, & ad tit. de exercitoria, c. 2. circa medium*, ex eo textu non probari, eum qui tacet, non cenſeri conſentire, contra ſupra tradita; ſed ſolummodo non habere voluntatem expreſſam, quæ requiritur ad hoc, ut pater, vel Dominus in ſolidum teneantur, juxta textum *in l. 1. ff. quod juſſu*, ubi ita eleganter hoc verbum *juſſu*, explicat Ulpianus; nam ad effectum ut detur in dominum, vel patrem actio in ſolidum, *ex tit. quod juſſu*, non ſufficit quælibet voluntas, ſed expreſſa, & talis, de qua *in d. l. 1. in princip.* ibi: *Quod velis cum Sticho ſervo meo negotium gerere periculo meo.* Ac proinde nihil mirum, ſi taciturnitas ſola minime ſufficiat, ex qua licet conſenſus præſumatur, non tamen eſt expreſſus. Nec etiam obſtat textus *in d. l. filius 8. ff. de procur.* omiſſis enim pluribus, quæ pro ejus textus explicatione tradiderant Barboſa *in d. l. quæ dotis, n. 159.* Menochius *l. 6. de præſumpt. præſumpt. 69. a n. 60.* Faber *in ration. ad ipſum textum*, Sanchez *l. 1. de matrim. diſp. 5. n. 5.* Donellus *l. 18. comm. c. 16.* Duarenus *ad tit. de procur. c. 7.* reſpondetur, verum eſſe, quod ad effectum, ut quis conſtituatur procurator, ſufficit quod ſit ſciens, & tacens: quo caſu juxta ſupra tradita præſumitur conſentire: neque habet locum principium illud circa procuratores receptum, videlicet quod procurator invitus nemo dari poteſt, *d. l. filius, ver. Invitus*; textus optimus *in l. ſi defunctus 15.* ibi: *Ita tamen ſi hoc dominus, ſciente, & non contradicente procuratore fecit.* Nec obſtat dicta lex *filius, verſ. Invitum.* Nam reſpondetur, Ulpianum ibi tantum docere, invitum procuratorem accipi non tantum illum, qui contradicit, ſed & illum, qui non conſentit. Tantum ergo probat Ulpianus, illum eſſe invitum, qui vel contradixit, vel non conſenſit vere, aut præſumptive. Plane cum ille qui præſens eſt, & tacet, præſumptive conſentiat, & ex ea præſumptione probetur conſenſiſſe, conſequens eſt, tacentem non haberi pro invito, imo magis pro conſentiente: docet Fulgoſius *in eo textu n. 4.* quo modo etiam intelligitur textus *in d. l. 4. ff. ſervit. urban.* in illis verbis: *Invitum accipere debemus, non qui contradicit, ſed & qui non conſentit.* Nec etiam obſtat textus *in d. l. filius 16. ff. ad Macedon.* Nam omiſſis traditis a Barboſa *d. n. 159.* Cujacio *l. 4. reſponſ. Pauli in eodem textu*, dicendum eſt, Paulum potius probare præſentem aſſertionem, dum docet, patrem qui litteras filii accepit, & tacuit in actu tantopere damnoſo, conſentire videri, & obligatum remanere: quamvis enim in eo textu duo concurrant, ſcilicet receptio litterarum, & taciturnitas; tamen præſumptio voluntatis non inducitur ex receptione litterarum, ſed ex taciturnitate illius, qui cum poſſet, minime contradixit: itaque ſi ſimul cum taciturnitate concurrat factum illud, qui tacuit, a fortiori cenſebitur conſentire: quo modo etiam exponitur textus *in d. Clem. 1. de procur.* ibi, *Litteris a te ſciente receptis*: ut ſcilicet eo modo præſumptio fortior oriatur, ac ſi ſola interveniret taciturnitas.

7 Reſpondetur aliis difficultatibus. Nec etiam adverſatur textus *in l. fidejuſſor, § 1. ff. de pign.* nam omiſſis quæ pro ejus expoſitione congerunt Gloſſa *ibi.* Barboſa *in d. l. quæ dotis, n. 159.* Cujacius *l. 4. reſponſ. Modeſt. in dict. §. 1. & in l. Gajus, de pigner. act. & in l. Titius, ff. quibus modis pignus*: reſpondetur, quod in dubio, ſi aliud ex conjecturis non apparet, præſentem, & tacentem, hypothecæ rei propriæ abſque proteſtatione præſumi conſentire, ſicut in alio quocumque actu humano, etiam præjudiciali: quod ſi ultra præſentiam, & taciturnitatem principalis perſona ſcribat chirographum, in quo talis obligatio continetur, tunc a fortiori idem reſolvendum erit, propter ſcripturam, quam tamquam principalis fecit, ex qua conſenſus clarius apparet. Verum tunc obſtare videtur, quod ex hac differentia multo major conjectura datur ad præſumendum conſenſum in eo, qui præſens eſt, & tacet, atque ſimul ut teſtis obſignat: atqui ſi quis præſens ut teſtis obſignet in chirographo, in quo ipſius res pignori aſſignabatur, non cenſetur conſentire hujuſmodi pignoris dationi, juxta textum *in l. Titia 35. §. Lucia*, ibi: *Quaſi teſtis efficit; ff. de legat. 2. l. Gajus 39. ff. de pigner. act. l. ſi pater 6. C. de fidejuſſ.* igitur idem dicendum eſt in ſcribente chirographum pignoratitium. Sed reſpondendum eſt cum Cujacio *l. 4. reſponſ. Modeſt. in d. l. Titius*, maximam verſari differentiam inter caſum, in quo quis chirographum ſcribit; & inter eum, in quo tantum obſignat, ut ſcilicet primo caſu, quo quis ſcribit, conſentire videatur pignoris dationi, quia cum ſcribens totum chirographum habeat plenam ſcientiam totius negotii quod peragitur, ſiquidem ſcribit, & ſubſcribit, *c. inter 6.* ibi: *Habens notitiam; de fide inſtrument.* ideo quia tacens habetur pro conſentiente, & pignori conſenſiſſe videtur: at vero obſignans poteſt eſſe ignarus negotii, quod in inſtrumento continetur, ut plerumque videmus in teſtibus inſtrumenta obſignantibus; nec tamen eis ſpecialiter referri omnia quæ in inſtrumento continentur, ideoque hoc caſu ex ſola obſignatione non præſumitur conſenſus, quia datur ignorantia; quo caſu procedant textus *in d. l. Gajus, d. l. fidejuſſor, d. l. ſi pater 6.* Qua etiam diſtinctione exponendus eſt textus *in c. ex litteris 6. de tranſact.* ideo enim teſti in ea ſpecie ex taciturnitate præjudicium ſequitur, quia non ſolum obſignavit ut teſtis, verum etiam ſubſcripſit; quæ ſubſcriptio ſcientiam negotii ſupponit, atque ita cum ſciens tacuiſſet, conſenſiſſe videtur. Nec tandem obſtat textus *in d. l. qui vas 49. §. vetare, ff. de furtis*: cui reſpondendum eſt cum Petro Barboſa *in d. l. quæ dotis, n. 152.* textum illum procedere in præſente, & tacente, qui ignorabat actum, quo caſu quia ignarus erat, conſenſiſſe non cenſetur; ad hoc enim ut tacens habeatur pro conſentiente, requiritur ut ſciat negotium, quod peragitur, & aliquo ſenſibili ſigno conſenſum innuat, *c. ex ore*, ibi: *Renuntiaſſe; de his quæ fiunt a major. part. l. quidam 12. ff. de evict. l. ſi ſervus communis, ff. de donat. inter*: item quod contradicere poſſet, quippe ſi tacens nequeat actum impedire, quia eo invito celebrari poteſt, taciturnitas inducit conſenſum: textus ita intelligendi *in l. ſicut 8. §. non videtur, ff. quib. mod. pignus, leg. Gajus 39. ff. de pignor. act. leg. penult. ff. de furtis*: docet Barboſa *in d. l. quæ dotis, n. 112.* Nec obſtat ſecunda dubitandi ratio ſupra expenſa, pro cujus ſolutione ſciendum eſt, quod præſens, & tacens dupliciter poteſt conſiderari: vel enim ſimpliciter, & abſolute tacet, abſque conjectura extrinſeca, quæ confeſſionem, aut negationem inducat: vel conjectura in contrarium proponitur, veluti ſi ex duobus illatis alterum neget, vel fateatur. Primo caſu medium datur inter confeſſionem, & negationem, ita ut tacens neque fateri, neque negare videatur, juxta dictam regulam, *Qui tacet.* In ſecundo vero caſu adverſative conſentit, & ita qui unum ex duobus ſibi illatis fatetur, vel negat, alterum fateri, vel negare cenſetur; quo caſu accipiendi ſunt textus *in cap. 1. de poſtulat. Prælator.* ibi: *Non negavit in fratrum noſtrorum præſentia requiſitus: & cap. qualis, 25. diſt. l. Tribunus 21. §. ult. verſ. Amplius, de milit. teſtam.* Ratio differentiæ eſt, quia in primo caſu, quando aliquis ſimpliciter, & abſolute tacet, nihil affirmat verum, vel falſum; & ideo neque diffitetur: contra vero in ſecundo caſu, ſi ex duobus illatis alterum fatetur, vel negat, ex eo quod unum negavit, alterum fateri videtur; vel ſi unum fatetur, alterum tacendo negat; ex conjectura enim, quia interrogatus de duobus reſponſum ad unum contraxit, in alio oppoſitum ſignificavit, approbando, vel negando.

C A P U T VI.

a Gregorius *Maximiano Epiſcopo Syracuſano*.

MAndata cæleſtia efficacius gerimus, ſi noſtra cum fratribus onera partiamur. Proinde ſuper cunctas Siciliæ Eccleſiæ reverendiſſimum te virum Maximianum, fratrem, & Coepiſcopum noſtrum b vices Sedis Apoſtolicæ

licæ miniſtrare decernimus, ut quiſquis illic *c* religionis habitu cenſetur, fraternitati tuæ ex noſtra auctoritate ſubjaceat: quatenus eis non ſit neceſsarium poſt hæc pro parvulis ad nos cauſis tanta maris ſpatia transmeando pervenire. Sed ſi qua fortaſsis difficilia exiſtunt, quæ fraternitatis tuæ judicio nequaquam dirimi poſsint, hæc ſolummodo noſtrum judicium flagitent, ut ſublevati de minimis, in cauſis majoribus efficacius occupemur. Quas videlicet vices non loco, ſed *d* perſonæ tribuimus, quia ex tranſacta in te *e* vita didicimus, quid etiam de ſubſequenti tua converſatione præſumamus.

N O T Æ.

1 a G*Regorius.*) Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. c. 7.* & *in c. 1. de offic. vicar.* Sed reſtituenda eſt inſcriptio ex regeſtro epiſtolarum Gregorii Magni ita: *Gregorius Maximiano Epiſcopo Syracuſano*; & integra textus ſupplenda eſt *ex l. 2. ipſius ep. 4.* Syracuſa fideliſſima urbs fuit, & Græcarum urbium maxima, ut ex Strabone, & Cicerone probat D. Rochus Pyrrho *t. 3. Siciliæ ſacr. not. 2.* notavit *in c. 1. de cauſa poſſeſſ.* Ab ipſius D. Petri Apoſtoli temporibus habet Eccleſiam Cathedralem, cujus Epiſcopo Maximiano edicto reſcribit in præſenti Gregorius; ille enim ex monacho Benedictino electus fuit in Epiſcopum Syracuſanum anno circiter 590. de quo D. Gregorius *l. 3. dialog. c. 36.* ait: „ Neque ſilendum puto, quod omnipotens Deus ſuper Maximianum famulum ſuum nunc Syracuſanum Epiſcopum, „ &c. „ Plura de hujus Maximiani ſanctimonia congerit D. Rochus Pyrrho *ubi ſupra, anno 590.*

2 b *Vice Sedis Apoſtolicæ.*) Quam Apoſtolicam facultatem his verbis confirmavit Gregorius *l. 3. ep. 11. 12. 13. & 14.* „ Olim quidem fraternitati tuæ noſtra fuerat auctoritate commiſſum, ut ſi quæ in Sicilia exciderant Eccleſię, ceteriſque venerabilibus locis, vel incongrue gererentur, noſtra „ vice corrigeres; ſed quia poſt hæc de quibuſdam neglectis „ hactenus capitulis ad nos querela pervenit, rurſus ad eorum correctionem tuam fraternitatem prævidimus excitandam, &c. Quæ verba reperiuntur apud Gratianum *in c. 3. 7. q. 1.* legationemque iſtam latius narrant Baronius *in martyrol. die 9. Junii, litt. E, & t. 7. anno 581. & 583. & t. 8. anno 594. n. 33.* D. Rochus Pyrrho *jam ſupra citatus.*

3 c *Religionis habitu.*) Albertus Piccolus in ſuo libello de jure antiquo Eccleſiæ Siculæ, *2. part. c. 2.* ut ſuo Felici Epiſcopo Metropoliticum jus tribueret, coarctat hanc Maximiani poteſtatem ad religioſos tantum monaſticam vitam profitentes, cujuſcumque diœceſis: ſed docte eum refellit D. Rochus Pyrrho *t. 1. Siciliæ ſacræ, in Eccleſia Meſſan. a n. 7. fol. 27.* tum ex epiſtolis ipſius Gregorii *l. 2. ep. 13. 18. & 26. & indict. 11. l. 2. ep. 12. 49. & 53. & l. 3. ep. 11. 12. 13. & 14.* ubi de clericis, & aliis ſæcularium cauſis virtute hujus legationis Maximianus cognovit: tum quia verba relata, *religionis habitu*, non tantum de monachis, ſed etiam de clericis exaudienda ſunt: quod expreſſe ſenſiſſe Gregorium, verba ipſius ſatis ſuadent *l. 7. indict. 2. ep. 111.* ubi ægre ferens quoſdam defunctis Epiſcopis honoris ſtudio incenſos ex laicis fieri de repente ſacerdotes, ait hujuſmodi homines cenſendos eſſe ac ſi neophyti eſſent, atque adeo ab Epiſcopatus apice repellendos; ſicut in fide neophyti a ſacris ordinibus arcentur ad „ aliquot annos. Sic autem ibi loquitur: Sicut autem neo„ phytus tunc dicebatur, qui in initio in ſanctæ fidei erat „ converſatione plantatus; ſic modo neophytus habendus eſt, „ qui repente in religionis habitu plantatus, ad ambiendos „ ſacros honores irrepſerit. „ In religionis igitur habitu eſſe, vel cenſeri, apud Gregorium clerici dicuntur; & cum in clericos omnes Maximiano auctoritatem tribuat Gregorius, id plane ſignificat, ut Maximianus eodem prorſus fungatur munere.

4 d *Sed perſonæ.*) Expreſſo nomine proprio Maximiani; unde defuncto eo, poteſtas illa in ſucceſſorem non tranſierat, ut ex hoc textu probat Germonius *de indultis Cardin. §. Hieronymo.*

5 e *Vita didicimus.*) Sanctus enim Maximianus Magiſter fuit D. Gregorii Magni, in religioſis inſtitutionibus vir virtutibus magnis præditus, & pluribus miraculis coruſcans. D. Gregorius *l. 4. ep. 19.* ad Cyprianum Diaconum: „ Amariſſimas „ tuæ dilectionis epiſtolas de Domni Maximiani obitu menſe Novembris ſuſcepi. Et quidem ille ad præmia deſiderata pervenit: ſed infelix populus Syracuſanæ civitatis lugendus eſt, qui Paſtorem talem diu habere non meruit. „ Proinde dilectio tua ſolicitudinem gerat, ut in eadem Eccleſia talis debeat ad ordinandum eligi, qui poſt domnum „ Maximianum ejuſdem regiminis locum non videatur immerito ſortiri. *Et l. 4. epiſt. 47.* Hoc tamen ſciat magnitudo veſtra, quia civitati illi, quem dare poſſimus Maximiano reverendiſſimo ſimilem, non habemus. Sed quia a „ Clero, & plebe Eccleſiæ Syracuſanæ Agatho, ab aliquibus „ autem alter eligitur: hunc qui a Clero, & plebe electus „ eſt, ad nos interim venire neceſſe eſt, utriſque cominus „ conſtitutis, ille qui Deo placuerit, & utilior viſus fuerit, „ ordinetur. Nam deſiderii noſtri eſt talem hic cum Chriſti „ gratia ordinari Pontificem, qui bonorum ſupradicti Epiſcopi, cujus vos actionibus teſtimonium perhibetis, in omnibus debeat, Deo adjutore, imitator exiſtere.

COMMENTARIUM.

EX hoc textu communiter deducitur, ex anteacta vita deduci præſumptionem morum cujuſque; quod etiam probatur *ex c. ſcribam 9. c. litteras, in fine, c. cum in juventute, penult. hoc tit.* Cujus enunciati ratio eſt; nam ex factis, geſtiſque animus, ſeu mens agentis conjicitur, ut liquet *ex §. Pavonum, Inſtit. de rer. diviſ. leg. ſi tamen 48. ff. de ædil. edict. l. Paulus, ff. rem ratam haberi*: jam probavi *in c. 3. hoc tit.* factumque tribus temporibus conſideratur, præterito, præſenti, & futuro, ut docuit Quintil. *l. 5. inſtit. c. 9.* dum ait, conſilia eſſe, & præteriti, & præſentis, & futuri temporis. Et *lib. 7. cap. 3.* ubi inquit, conjecturam omnem, aut de re, aut de animo eſſe; utriuſque tria tempora, præteritum, præſens, & futurum, & quæ fiant, & futura ſunt, ex præteritis colligi, & merito certe: nam ut Leo Papa inquit, non poteſt bonus exitus expectari eorum, quæ malo principio inchoata ſunt, *c. miramur, §. Principatus, 6. diſt.* Unde Horatius ait:

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem
Teſta diu.

Docent Menochius *l. 1. de præſumpt. q. 19. a n. 1.* Alciatus *eod. tr. regul. 2. præſumpt. 25. & 26.* Florianus *in l. non eſt neceſſe, ff. de probat.* Everard. *in cent. legal. loco A tempore ad tempus*; qui ex hoc principio plures deducunt illationes, veluti quod qui ſemel remiſit injuriam, præſumitur etiam remiſiſſe in futurum, *§. ult.* ubi Gloſſa, *Inſtit. de injur.* & qui præterito tempore per calumniam accuſavit, præſumitur in futurum calumniari velle; *l. ſi quis 7. §. idem, ff. de accuſ.* qua ratione calumniatorem in teſtem non poſſe admitti, docet I. C. *in l. quæſitum, ff. de teſtibus.* Deinde qui ſemel inimicus præſumitur, eſt in futurum talis, *l. in ipſius, C. famil. erciſc.* & ille qui tempore pręterito fuit furioſus, ita etiam nunc talis pręſumitur, *c. fin. de ſucceſſ. ab inteſt.* & qui tempore pręterito fuit certæ opinionis, ejuſdem quoque & in futurum præſumitur, juxta textum *in l. eum qui 22. ff. de probat. l. cum hic ſtatus, ff. de donat. inter.* Tandem qui ſemel eſt dominus, & poſſeſſor, ſemper præſumitur talis, ut docet Baldus per textum ibi, *in l. ſive poſſidetis, C. de probat.* quod magni momenti eſt ad dignoſcendum, an interdicto poſſeſſorio, vel judicio petitorio aliquis agere debeat; nam ſi dominus eſt, & alius poſſidet, rei vindicatione experiri debet; ſin vero poſſeſſor eſt, interdicto poſſeſſorio agere ei utilius erit, juxta textum *in l. is qui deſtinavit, ff. de R. V.* quia in dubio pro poſſeſſore ſemper judicandum eſt, *l. cum pari 19. leg. impari 170. l. parem 191. ff. de R. J. c. impari, eod. tit. in 6.* unde vulgo dicitur, pro poſſeſſore ſemper præſumendum eſſe, quia præſumitur ex titulo præambulo poſſidere, *leg. 1. §. ſi quis rem, ff. de except. rei judic. l. 2. C. de acquir. poſſeſſ. l. cum res 12. C. de prob.* quo fit ut regulariter poſſidens non probet, ſed in alium transferat probationem, ut conſtat *ex l. liberis, §. ult. ff. de liber. cauſ. l. vis ejus, leg. matrem*, juncta Gloſſa *verbo Convenit, C. de probat. leg. quidam quaſi, ff. eodem, l. uti frui, in fine princip. ff. ſi uſusfruct. petat. l. 28. tit. 2. partit. 3.* Hæc tamen præſumptio, quæ a præterito tempore ſumitur, locum non habet in his, quæ curſu temporis naturaliter mutantur, ut ſcilicet qui olim fuit infans, non præſumatur etiam hodie talis, *l. cum te, C. de probat.* & ille qui in pueritia neſcivit litteras, non præſumitur hodie neſcire, cum certum ſit, hominem quotidie diſcere poſſe, *leg. Stichus, ff. de legat. 3. c. ſi eo tempore, de reſcript. l. 6.* docent Menochius *de præſumpt. 24. n. 18. & 19. & l. 2. præſumpt. 50.* Alciatus *regul. 2. præſumpt. 25. n. 1. & l. 3. præſumpt. 14.* Maſcard. *de probationibus concluſ. 667. n. 27.*

C A P U T VII.

a Idem *Italicæ* b *Patriciæ*, c *& Domno Venantio* d *Cancellario Italiæ.*

QUoſdam de Sicilia venientes, affectu quo debui, de ſoſpitate veſtræ Excellentiæ requirere curavi. Sed de aſſiduitate ægritudinum mihi triſtia reſponderunt. Hæc autem dicens, nec ego vobis de me ipſo invenio aliud, quod debeam nunciare, niſi quod peccatis meis exigentibus, ecce jam undecim menſes ſunt, quod valde rarum eſt, ſi de lecto *e* ſurgere aliquando potuero. Tantis enim podagræ, tantiſque moleſtiarum doloribus premor, ut vita mea mihi graviſſima pœna ſit. Quotidie enim in dolore deficio, & mortis remedium expectando ſuſpiro. In clero vero hujus urbis, & populo tanti febrium languores *f* irruerunt, ut pene nullus liber, nullus ſervus remanſerit, qui eſſe idoneus ad aliquod officium, vel miniſterium poſſit. De vicinis autem urbibus ſtrages quotidie mortalitatis nobis nunciantur. Africa autem qualiter mortalitate & languoribus vaſtetur, quanto viciniores eſtis, tanto credo quod ſubtilius cognoviſtis. De Oriente vero qui veniunt, graviores deſolationes nunciant. In his itaque omnibus, quia appropinquante fine mundi generalem percuſſionem eſſe cognoſcitis, affligi nimis de propriis moleſtiis non debeatis. Sed ſicut ſapientes Nobiles decet, omne cor ad animarum curam reducite, diſtrictum judicium quanto ſit vicinius, plus timete; ſtudiis pietatis intendite, de qua ſcriptum eſt, quod promiſſionem habeat vitæ præſentis, & futuræ. Potens eſt autem omnipotens Deus vitam veſtræ excellentiæ & hic in longo tempore conſervare, & poſt multa annorum curricula ad gaudia æterna perducere. Dulciſſimas filias meas domnam Barbaram, & domnam Antoniam mea peto vice ſalutari. Quas oro ut ſuperna gratia protegat, eiſque proſperari in omnibus concedat.

N O T Æ.

1 a I*Dem.*) Ita ſupplenda eſt inſcriptio ex regeſtro Gregorii, *l. 7. ep. 129.* ex quo integram textus reſtituo, quam etiam truncatam legimus in prima collectione, *ſub hoc titul. cap. 9.*

2 b *Patriciæ.*) Patriciorum tria genera eſſe notavit Gutherus *de offic. domus, l. 2. c. 19.* Primum eorum, qui a Patriciis originem ducebant: ſecundum eorum, qui ab Imperatoribus in Patrum locum eligebantur. Tertium eorum, qui Patriciorum nomine rem bellicam adminiſtrabant. Hujus poſterioris generis erant Patricii Italiæ, quorum origo facile conſtat ex libro Conſtantini Porphyrogenitæ, *c. 26.* ibi: „ Poſtquam Conſtantinopolim translata eſt Imperii ſedes, omnia hæc in „ duos Principatus diviſa ſunt: ex quo tempore miſſi ſunt „ ab Imperatore Conſtantinop. Patricii duo, quorum unus „ Siciliæ, Calabriæ, Neapoli, & Amalphiæ præerat; alter „ vero Benevento, Capuæ, Papiæ, cum reliquis. „ Et tributa quotannis fiſco Imperatoris pendebant, atque Romæ etiam poſt tempora noſtri Gregorii ob cauſam regiminis urbani eligebantur duo Senatores cum Patricio, ut refert Ottho Friſing. *l. 7. hiſt.* & ex eo P. Gregorius *in c. Eccleſia, de conſtit. n. 18.* Plura de his patriciis Italiæ congerit Gutherus dict. c. 27. unde Italicam Patriciam, cui reſcribit Gregorius] in præſenti, accipio pro uxore Patricii Italię, ut *l. 9. epiſt. 38. & aliis*: ubi ſcribit Ranticianæ Patriciæ, aut pro filia, vel nepote Patricii, quæ uxor erat Venantii Cancellarii Italiæ, & ita conjugibus reſcribit Gregorius. Quod etiam aperte conſtat ex ultimis verbis hujus epiſtolæ, ubi filiorum ipſorum meminit.

3 c *Domno.*) Ævo Magni Gregorii, ac deinceps valde frequens fuit hæc vox *Domnus*, *ſeu Domna*, pro domino, vel domina. Ennodius *l. 3. ep. 4.* ibi: *Cum veſtris ad Dominum Fauſtum commendatitiis.* Et *l. 9. ep. 30. Bene feciſti Domna Agnella.* Gregorius noſter *l. 1. ep. 6. Domnum Alexandrum, Domnum Theodorum, Domnam Eudochiam, & Domnam Dominicam mea peto vice ſalutari.* Veteres enim reverentiæ cauſa a Domini nomine abſtinebant, quod tantum illi convenire credebant, qui eſt Rex regum, & Dominus dominantium, & cui in Hymno Angelico concinimus, *Tu ſolus Dominus.* Unde per ſyncopen dicebant *Domnus*. Illuſtrat Benedict. Haæphtenus *diſquiſit. monaſt. l. 3. tr. 4. diſquiſit. 4.*

4 d *Cancellario.*) Licet Cancellarius apud veteres ſcriptores acciperetur pro notario, qui inter cancellos conſiſtens judicum litteras, reſponſa, & edicta ſcribebat; ut in edicto Archadii, & Theodoſii relato *l. 1. C. Theod.* in Capitularibus Caroli Magni *l. 3. c. 43.* in legibus Ripuar. *tit. 59. §. 11.* Longob. *l. 2. tit. 35.* & aliis relatis a Gerard. Voſſio *l. 2. de vit. ſerm. c. 3.* tamen in jure noſtro frequentius accipitur pro dignitate eccleſiaſtica, ut *in c. unic. ut eccleſ. benef. c. 4. de elect.* notarunt plura de Cancellarii officio Kochier *in face hiſtor. c. 85.* Anſeguiſus Abbas *verbo Cancellarius, in gloſſar. c.* Lindembrog. in eodem Gloſſario, *verbo Cancellarius*, Cujacius *in c. in noſtris, de appell.* Cohel. *in notis Card. c. 17. & 20.*

5 e *E lectulo ſurgere.*) Maximis enim ægritudinibus laboraſſe D. Gregorium ipſe teſtatur *l. 2. ep. 27.* his verbis: „ Ecce jam undecim menſes ſunt, quod valde rarum eſt, ſi de „ lecto ſurgere aliquando potui; tantis enim podagræ doloribus, tantiſque moleſtiarum premor angoribus, ut vita „ mea mihi graviſſima pœna ſit. Et *l. 7. ep. 78. & l. 8. ep. 56.* „ & *l. 9. ep. 26. & 38.* ibi: Atque per hoc podagræ moleſtia „ effecit, ut corpus meum tamquam in ſepultura ſiccatum „ ſit. „ Refert Joan. Diaconus *in vita ipſius, l. 4. c. 67. per tot.*

6 f *Languores irruerunt.*) Imo & ſæva peſtis; temporibus enim Gregorii magni crudelis peſtis irruerat, adeo ut per Italiam graſſante lue paſſim homines ſternutamento animam agerent; unde aliqui factum, & introductum exiſtimant, ut ſternutantibus, veluti magno in diſcrimine poſitis, ceteri ſalutem precarentur: quem morem & hodie retinemus, dum dicimus, *Dominus tecum.* Sed hujus moris, precationiſque veram rationem tradit Pater Famianus Strada *l. 3. proluſionum proluſ. 4. per totam.*

C A P U T VIII.

Idem a *Victori Epiſcopo.*

QUanto lætitiæ nobis eſt fratres noſtros cognoſcere erga filios ſuos paterna charitate decenter eſſe ſollicitos, tanto triſtitiæ deputamus, quando eos ab illicitis nec aliorum fratrum reverentia, nec ſacerdotii prevalet conſideratio temperare. Quam igitur gravis & aſpera adverſus fratrem noſtrum Paulinum *b* Regienſis civitatis Epiſcopum, clericorum ejus, vel eorum qui in ſacro ſunt ordine poſiti, ſit querela, fraternitati tuæ liquere non dubium eſt, quia latere te in vicino non potuit, quod ad nos e longinquo pervenit. Et quoniam valde cavendum eſt, ne hoc, quod eum fruſtra in ſe corporali injuria queruntur excedere, aut licite præſumatur, aut fiat diſſimulatione deterius: ſic manifeſti exceſſus canonica ſemper moderatione premendi ſunt, ut una res & præteritorum correptio, & eſſe poſſit regula futurorum. Proinde ſimul cum dilectiſſimo communi fratre *c* Columbo Epiſcopo, vel aliis ſacerdotibus, quos prævideris, inter ſupraſcriptum fratrem noſtrum, & clericos ipſius cauſam ſubtili inveſtigatione rimari te convenit; & ſi ſupplicantium querela veritati ſubſiſtit, ita hoc regulari emendatione corrigere, ut & quam ſit malum quod fecit, agnoſcat; & officii ſui terminos diſcat de cetero non exire. Nec loci tui, ſicut dicitur, ab eo poſtponi ordinem patiaris, ne illis deſpectus tuus ad periculum, & tibi fiat ad culpam. Nam ad perſonam in priori loco poſitam reſpicit quicquid a minorę committitur, niſi ſolicite corrigitur. Illud autem quod idem frater noſter Paulinus Eccleſiaſticos ordines dare ſub præmio perhibetur, ſubtilius a vobis, & omnino diſtricte quærendum eſt. Et ſi ita, quod non optamus, eſſe claruerit, ſic ad ulciſcendum hoc veſter ſe propter Deum zelus accendat, ut & ordinanti avaritia ſua convertatur ad pœnam, & illicita ordinatio effectu carens, ambitionis ſuæ deſiderio non fruatur. In qua re hortamur, atque præ omnibus admonemus, ut ita fraternitas veſtra ſtudeat eſſe ſolicita, quatenus priuſquam unius vitio ſimoniacæ illic *d* hæreſeos nequitia convaleſcat, ſententiæ veſtræ falce, facto ex opere conſilio, radicitus amputetur. Nam quiſquis ad hoc facinus emendandum officii ſui conſideratione vehementer non arſerit, cum ipſo ſe non dubitet habere portionem, a quo prius hoc piaculare flagitium ſumpſit exordium. Et ideo, ſicut diximus, hinc vigilanter atque ſtudioſe agendum eſt, ut conſilium veſtrum, quod nunc uſque ſine hujuſmodi prava opinione Deo cuſtodiente ſervatum eſt, hujus ſceleris venena nec polluere poſſit, nec perdere. Præterea *e* Hilario chartulario noſtro præcepimus, ut ſi res exegerit, intereſſe vobiſcum non differat. Unde ſi neceſſe fuerit, veſtris illi, ut ad vos venire debeat, epiſtolis indicare, quatenus hæc omnia una cum eo ſalubriter Deo poſſitis adjuvante dirimere.

N O T Æ.

1 a I*Dem.*) Ita ſupplenda eſt inſcriptio hujus textus ex regeſtro Gregorii Magni *l. 10. ep. 33.* ex quo etiam ejus integram reſtituo. Et licet Piccolus p. 2. *c. 16.* exiſtimaverit emendandam eſſe epigraphen hujus textus, & legendum, *Victori Epiſcopo Numidiæ*, motus ex eo, quia in præſenti epiſtola ſæpe ſæpius eum ut Primatem alloquitur Gregorius, ibi: *Nam ad perſonam in priori loco poſitam*; & expreſſius in epiſtola antecedenti, ubi dum de ipſo Victore agit, ait Magnus Doctor: *Qui primatus inter vos locum tenet*: & Primatem Africæ fuiſſe Epiſcopum Numidiæ ipſe Piccolus probat; atque temporibus Gregorii Magni Victorem fuiſſe Numidiæ Epiſcopum, conſtat ex ipſo regeſtro Gregorii *l. 3. indict. 12. ep. 25.* & *l. 7. indict. 1. ep. 15.* unde ipſe Piccolus exiſtimat in præſenti epigraphe legendum eſſe *Victori*. Tamen adhuc retinenda eſt præſens inſcriptio, ut etiam habetur *l. 4. ep. 4. l. 5. ep. 41. l. 7. ep. 92.* Et Victorem hunc Panormitanum Præſulem fuiſſe Primatem Africæ temporibus Gregorii Magni, docet, & illuſtrat D. Rochus Pirro *t. 1. Sicil. ſacr. in Eccleſia Panormit. anno 590. a n. 2.* probaturque ex epiſtola antecedenti 32. videlicet *l. 10.* ubi dum eamdem cauſam Paulini committit Gregorius Columbo Epiſcopo Numidiæ, ait: „ Victori fratri, „ & Epiſcopo noſtro, qui Primatus inter vos locum tenet, curavimus ſcribendum. „ Quomodo ergo eodem tempore poterant Numidiæ præeſſe Eccleſiæ Columbus, & Victor, licet Columbo ſucceſſerit Epiſcopus nomine Victor, de quo in prædictis epiſtolis. Latius proſequitur D. Rochus Pirro *ubi proxime.*

b *Regienſis.*) Regium civitas etiam eſt Africæ in Provincia Numidiæ, ut in notitia Africæ refert Carolus a S. Paulo *in geograph. ſacr. fol. 98.*

c *Columbo.*) Epiſcopo Numidiæ, cui in epiſtola antecedenti ejuſdem cauſæ cognitionem commiſerat Gregorius.

d *He-*

2 d *Hæreſes*.) Simoniæ crimen non ſolum hæreſim , verum, & hæreſeon maximam , & primam habitam fuiſſe contendit probare Gofridus Vindocin. *in opuſc. de ſimonia* ; & hæreſim appellari apud SS. Patres paſſim legimus. Gregorius VII. de ſimonia agens *l. 11. ep.* 34. ait : Hanc hæreſim ante omnes „ alias radice peſtifera in Eccleſiam ſurrepſiſſe , atque in „ ipſo portu Apoſtolico, maledictionis telo eſſe damnatam. „ *Paſchalis* II. *relatus in c. ult. 1. q. ult.* ibi : Simoniaci pri- „ mi , & præcipui ſunt hæretici : omnia etiam crimina ad „ comparationem ſimoniacæ hæreſis , quaſi pro nihilo repu- „ tantur. „ Quæ poſteriora verba etiam reperiuntur *in c. per tuas , de ſimon.* Illuſtrat late Franciſcus Hallierius *de ſacris elect. ſect. 7. c. 1. art. 2. per tot.*

3 c *Chartulario*.) Chartularius, ſeu carthularius dicitur, qui Imperatoris eſt a codicillis . Arnulphus Lexovienſis Epiſcopus *ad Alexandrum Papam* , Godefridus Viterbienſis *chronolog. pag.* 20. probant Cujacius *l. 4. obſerv. c.* 7. Meurſius *in Gloſſar. verbo Chartularius*. Plerumque tantum accipitur pro eo , qui cauſas eccleſiaſticas cognoſcit , ac dirimit , ut probat Voſſius *de vitiis ſermon. l. 3. c. 4. verob Cartularius* , quo in ſenſu accipitur Chartularius in præſenti.

COMMENTARIUM.

4 EX his duabus Gregorii epiſtolis communiter deducitur , ex vicinitate præſumi notitiam facti , potius quam in remotiori parte : quando enim agitur de his actibus, qui communiter cadunt in ſcientiam, & cognitionem vicini , ex tali vicinitate præſumitur ſcientia facti , juxta textus *in l. 3. §. ſi itaque vicinus , ff. de novi operis nunc. c. cum dilectus , de purg. canonic. l. ſi ita , in fine , ff. de fundo inſtructo , l. ſi vicinus , C. de nupt.* ſicut e contrario ob locorum diſtantiam præſumitur ignorantia , *c. cum inter , qui matrim. accuſ.* Concilium Trid. *ſeſſ. 25. de reform. c.* 10. ibi : „ Quoniam ob malitioſam petentium ſuggeſtionem , & quandoque ob locorum longinquitatem perſonarum notitia , quibus cauſæ mandantur , „ haberi non poteſt. „ Docent late Menochius *l. 1. de præſumpt. q.18. & l.6. q.24. per tot.* Maſc. *de probat. concluſ.* 1406. Coſta *de facti ſcient. inſpect. 73. n.9.* D. Joan. Solorzanus *t.2. de jure Indiar. l.3. c.8. n.41.* unde ſi teſtis productus in judicio , interrogatus quomodo ſciat , reſpondeat ; *Scio , quia ſum vicinus* : recte concludit , quando deponit ſuper his , quæ habent tractum ſucceſſivum ; & poſſunt a communiter accidentibus concludenter percipi . Inde etiamſi interrogatus teſtis dixit , ſe neſcire , ad probandum contrarium , quod imo ſciverit , optima eſt probatio , ſi allegetur , & probetur , quod eſt vicinus , ut ex præſenti textu , & ex lege 1. ibi : *Æſtimationem circum colentium* ; *ff. de fluminibus , l. Dominus , ff. locati , c. paratum 23. q.1.* docent Bart. *in dict. leg.1. n.15.* Mauricius *de in integr. reſtit. c.77. n.2. & 3.* Menochius *ubi ſupra , n.16.* Nec obſtat , quod teſtis debet neceſſario concludere , alias non probat , *leg. non hoc , C. unde cognati* . Nam reſpondetur ſufficere , quod teſtis concludat præſumptive ex præſumptione juris talis , quæ ad condemnationem ſufficiat ; ſed quod vicinus ſciat facta vicini , quæ habent tractum ſucceſſivum , eſt præſumptio juris , ut ex præſentibus conſtat . Igitur recte concludit . Nec etiam obſtat , teſtem deponere debere de his , quæ novit per ſenſum corporis , *l. teſtimonium , C. de teſtibus , l. qui teſtamento , §. final. de teſtam.* ſed vicinus , qui deponit ita : *Scio quia vicinus* ; non deponit per ſenſum corporis : ergo , &c. Nam reſpondeo , ſatis eſſe , quod teſtis deponat tale , quod ad ſenſum corporis conſtet , & per eum percipi poſſit , ut in præſenti caſu contingit , ex juris præſumptione . Etiam ex his infertur , quod ſi aliquis contraxerit cum minore abſque ſolemnitate a jure requiſita , non excuſatur ob ignorantiam , ſi fuerit vicinus antiquus , in vicinia , etiamſi minor juraſſet ſe majorem , ut docent Ancharanus *conſil. 70. n. 4.* Pariſius *conſil. 23. n. 18. volum. 1. & conſil. 138. n. 15. volum. 2.* Alex. *conſil. 187. n. 14. volum. 2.* & relati a Joanne Baptiſta Voſſio *ubi ſupra , gloſſ. 7. n. 2. & 7.* Et ratio eſt , quia vicinus præſumitur ſcire , cujus ætatis ſit vicinus , ut tradit Barb. *in d. l. 1. n.18.* & ibidem Purpuratus *n.98.* Gabriel *l. 1. concluſ. tit. de præſumpt. concluſ.6. n.39.* Menochius *l.1. de præſumpt. præſumpt. 51. & l. 8. præſumpt. 24. n. 19.*

C A P U T IX.

Hieronymus *ſuper* a *Oſee*.

SCribam ei multiplices leges meas . Ex prius datis , & neglectis apparet , quod has negligent.

NOTÆ.

1 a OSee.) Priora verba hujus textus , illa videlicet , *Scribam eis multiplices leges meas* ; quæ velut aliena reputata ſunt , ſunt ipſius Prophetæ Oſee , *c.8. verſ.* 12. quæ vero ſequuntur , licet non reperiantur in ſcholiis D. Hieronymi in eo capite , conveniunt tamen ejus menti , & ſententiæ : ut enim varie locus iſte legitur pro diverſitate verſionum , ſic etiam ad varios ſenſus patet , ut conſtat ex Ruperto , Theophylacto , Rufino , & Rivera , quorum interpretationes refert P. Gaſpar Sanchez *in d. c.* 8. D. Hieronymus *in eodem verſ.* 12. quaſi dubitabundam Deum introducit , ſecumque deliberantem , quomodo populum a ſupplicio vindicet , & ad officium reducat : & clauſulam hanc cum interrogatione concludit , ac ſi dicat : Scribamque alias leges , præter eas quas olim tradidi per Moyſem . Sed quid proderit novas ſcripſiſſe leges , cum veteres contempſerint ; Numquid novas majori ſtudio , ac religione ſuſcipient , quam ſuſcepere veteres , quæ apud illos nihilo plus habuere ponderis , quam alienæ ? Unde ex mente , & ſententia Hieronymi citantur hæc verba in præſenti , *Ex prius datis , & neglectis apparet , quod has negligent* . Unde compilatores , tam primæ collectionis , *ſub hoc tit. cap.* 10. & Raymundus in præſenti eam auctoritatem compilarunt ad probandum , ex præteritis dari præſumptionem ad futura , ut jam proximo commentario notavi . Aliter , & docte accepit prædicta verba Prophetæ doctiſſimus D. Joannes de Solorzano *emblem. 68. num.* 3. dum probat legum multitudinem exitialem eſſe Reipublicæ ; & ait , quod Deus per Prophetam populo ſuo , quia multiplicavit altaria , plu- „ res leges daturum ſe comminatur illis verbis : „ Quia „ multiplicavit Ephraim altaria ad peccandum , factæ ſunt „ ei aræ in delictum : ſcribam ei multiplices leges meas . „

C A P U T X.

Alexand. III. *Decano* a *Ciceſtren*.

LIttteras *b* Exonien. Epiſcopi ſuſcepimus continentes , quod cum Vv. clericus ad præſentiam Vvillelmi nobilis viri acceſſiſſet , orans , & ſupplicans , ut eum in *c* perſonam ejuſdem Eccleſiæ admitteret ; quidam clericus E. nomine in eadem inventus eſt miniſtrare , dicens ſe a bonæ memoriæ R. prædeceſſore ſuo legitime inſtitutum . Vv. vero objiciebat , etiamſi facta fuerit inſtitutio , prædictum E. non poſſe ei inniti , quia capellano Domini perſonatum *d* renunciavit , & ſub annua penſione ab illo tamquam a perſona vicariam recepit , & ſic poſt obitum illius Eccleſiam vacare aſſeveravit . Sed quia *e* veriſimilitudinem non habet , quod prædictus E. perſonatum Eccleſiæ prælibatæ capellano prænominati R. ceſſerit , & ab eo ipſius Eccleſiæ vicariam acceperit , provideas attentius , ut memorati Vv. ſuper hoc probationem recipias , niſi hoc *f* communis fama loci habeat , vel tales perſonæ appareant , de quibus veroſimile ſit , quod non debeant dejerare : quoniam ſæpe contingit , quod teſtes corrupti pretio facile inveniantur ad falſum teſtimonium proferendum .

NOTÆ.

1 a CIceſtren.) In prima collectione *ſub hoc tit. c.* 11. & in hac ſexta legitur , *Decano Caſſi* ; ſed perperam , reſtituendam enim eſt inſcriptio hujus textus , & ſupplenda ejus littera ex appendice Concilii Later. *p. 8. c.* 14. ubi ita habetur : *Idem Decano Ciceſtren.* De Decani dignitate plura adduxi *in c. 2. de reſcriptis* : de Ciceſtrenſi Eccleſia nonnulla notavi *in c. 2. de corpore vitiat.*

b *Exonienſis Epiſcopi* .) Qui etiam eſt in Anglia , ut notavi *in c. 6. de filiis presb.*

c *Perſonam* .) De perſonatu , & ejus dignitate egi *in c. ad aures , de reſcript.*

2 d *Renunciavit* .) Sed ſi abſque auctoritate Epiſcopi , quæ hic non exprimitur , facta fuit renunciatio , ex eo capite nulla erat , juxta adducta *in c. admonet , de renunc.* Sed omiſſa ſolutione Butrii *in præſenti* , dicendum eſt , in præſenti ſpecie non interveniſſe auctoritatem Epiſcopi , ſed tantum falſo modo allegari ; quia ſi auctoritas interveniſſet , & de ea conſtaret , nullam textus hic haberet dubitandi rationem , ut docet Panormit. *hic n. 3. in fine* . 3

c *Veroſimilitudinem* .) Aliquando declaratur in jure , ubi eſt præſumptioni locus , ut in juribus antecedentibus , aliquando vero , ubi non eſt locus præſumptioni , *l. ult. C. de condict. indeb.* ubi docetur , præſumptionem tranſactionis non induci contra eos , qui dubii , & incerti pecuniam quaſi perſolverunt ; & conſequenter agentes eos condictione indebiti non poſſe repelli aliter quam ſi ii , a quibus pecuniam repetunt , probent eam

eam ſibi debitam fuiſſe . Similiter in præſenti deciditur , quod ſi quis dixerit aliquem renunciaſſe perſonatui , & ab eo recepiſſe vicariam , non eſt ei credendum quia , nemo præſumitur renunciare ſuo beneficio , præſertim quod pinguius eſt. Conſonant textus *in c. ſuper hoc , de renunc.* in illis verbis : „ „ Nulla ratio enim hoc veriſimile reddit , ut quiſquam beneficium ſuum multis forte expenſis , & laboribus acquiſitum , facile , ſua ſponte , non ſine magna cauſa reſignet . „ Et *c. ſolicite , de reſtit. ſpol. c. fin. de ſolut. l.2. §. fin. & §. qui levandæ , ff. ad l. Rhodiam de jactu , l. cum de indebito 25. ff. de probat.* Explicant Paz *in praxi , 1. t.5. p. n.31.* Baldus *in l. 1. C. de edicto D. Hadriani* , Tiraq. *in l. ſi unquam , verbo donatione , n.109. C. de revoc.* Facit quod tradit Ariſtot. *l. 13. Ethic.* ubi ait , vitæ , opibus , & facultatibus ſtudere homines , & in earum amiſſione valde dolere , & merito certe : nam bona , quæ ad vitam ſuſtentandam , & felicitatem organice deſerviunt , magni habentur , & ex eo ita appellantur quod debeant , & homines beatos faciant , ut docet Ulpianus *in l. bonorum 49. ff. de V. S.* Faciunt Horatius *l.2. ſerm. ſatyr.6.* ibi :

—— Agitamus utrumne
Divitiis homines , an ſint virtute beati .

Seneca *l.2. controv. 6.* unde bona , & patrimonium plerumque fortunas appellamus , cum fere omnem noſtram fortunam in hominibus habeamus , ut tradit Scævola *in l. Sticho , ff. de ſtatulib.* & metum amiſſionis bonorum juſtum eſſe , & cadere in conſtantem virum , probant Donellus *l.15. comment. c.38.* Duarenus *ad tit. ff. quod metus cauſ.* Covar. *de ſponſal.2. p. c.3. §. 4. n.* 30. Pichardus *in §. item , n. 17. Inſtit. de act.* Cabreros *de mutu , l.1. c.8. n.33.* Ex his infertur , contra permutantem beneficium tenue cum pingui , præſumptionem dari ſimoniæ , cum non facile credatur , quod ſine cauſa quis beneficium pingue pro tenui permutet , ex hoc textu , & *d. c. ſuper hoc* . Hæc tamen ſola præſumptio non ſufficit ad ſententiam proferendam , ſed præſtat legitimam cauſam indicendi purgationem , ſeu taliter procedendi ; argumento textus *in c. inter , de purg. canon.* docent in præſenti Panorm. *n.* 1. Felinus *n.* 3.

4 f *Communis fama* .) Sed nemo gravatur onere probandi ultra plenam , & legitimam probationem ; *c.2. de prob.* igitur in præſenti non recte deſiderantur fama loci , & ſimilia adminicula , præter teſtes fide dignos , & omni exceptione majores , quos offerebat Vv. Nam reſpondeo , illius textus deciſionem limitari , quia contra gentem , vel excipientem adeſt præſumptio , quod actio , vel exceptio non eſt veriſimilis ; quia tunc gravatur majori onere probandi , ut conſtat ex textu *in l. non ex veriſimili 23. ff. de eo quod metus cauſa* , in illis verbis : “ Sed hujuſmodi præſumptioni nequit apertiſſimas probationes violenter opponere . „ Ideo in præſenti neceſſe eſt , ut aliquid concurrat , quod talem præſumptionem elidat , puta fama loci , quæ coadnectat fidem , *c. ſi teſtes , §. item ſæpe 4. q. 3. l. teſtium , §. ejuſdem quoque , ff. de teſt. l. ſi mater , C. ne de ſtatu defunct. c. illud , infra hoc tit. & c. præterea 27. de teſt.* vel ponderoſitas perſonarum , & dignitatis , vel legalitatis atteſtantium , ut conſtat ex hoc textu , ibi : „ Vel tales perſonæ appareant , de quibus non ſit ſuſpicio , „ quod debeant pejerare . „ Docent Gloſſa , & Panormit. *n.* 3. Felinus *n.4.* Ant. *n. 1. 2.* & 4. Innoc. Immola , & Baldus cum aliis ſcriptoribus in eodem textu .

C A P U T XI.

a Idem *Januenſi Epiſcopo* .

ILlud quoque nihilominus ex tua inquiſitione nobis innotuit , quod cum quædam mulier per annos 10. & ultra cuidam *b* ſervo ſcienter cohabitaverit , & ab eo fuerit carnaliter cognita , tunc ipſum aſſerit ſuum non eſſe maritum pro eo , quod teſtes deſponſationis non comparent . Verum vir *c* vindicat eam in uxorem , & oſtendit publicum inſtrumentum , quo ſeſe conjuges nominant , & per quod ipſum ei donationem propter nuptias feciſſe comparet . Mulier vero inſtrumentum illud vitioſum fuiſſe fatetur , ut ſervo dominus *d* defraudaretur , & plures teſtes produxit , quoniam ſervus ille ab amicis mulieris ſæpe rogatus , ut eam deſponſaret , ille ſe eam nec deſponſaſſe , nec deſponſaturum firmiter aſſerebat . Vir autem nonniſi prædicto inſtrumento , & quibuſdam teſtibus , qui viderant eam annulos *e* deferentem , mulierem ipſam probavit ſuam eſſe uxorem . Sed mulier de more illarum mulierum , quæ panes vendunt , ſe annulos detuliſſe dicebat . Unde quia in hujuſmodi dubietate *f* fama viciniæ magis debet attendi , tuæ ſolicitudinis erit famam loci diligenter inquirere , utrum prædictus vir eam in lecto , & *g* menſa , ſicut ſuam uxorem , & non concubinam habuerit : & ſi fama loci habet , quod vir ipſam ſicut uxorem tenuerit , cum *h* matrimonium ſit conjunctio maris , & feminæ individuam vitæ conſuetudinem retinens , cogenda eſt mulier , ut eidem viro affectu ſerviat conjugali , præſertim ſi præſcriptum *i* inſtrumentum ab eo conditum fuerit , qui officium ſuum fideliter adimpleverit .

NOTÆ.

1 a IDem .) Ita etiam habetur in prima collectione , *ſub tit. de ſponſalibus , c.* 14. ubi additur , *pars capitis Tua nos* , ex eo quia poſt Concilium Lateran. *p. 50. c. 51. & 42.* ubi reperitur hic textus , prius ponitur alia pars ipſius decretalis , quæ compilata eſt a Raymundo *in c. de his , de ſponſ.* Secunda vero conſultatio cum deciſione refertur in hoc textu : quod facile etiam ſuadetur ex illis verbis : *Illud quoque* . Quæ innuunt , jam præceſſiſſe aliam conſultationem . De Epiſcopo Januenſi egi *in c. 21. de elect.*

2 b *Cuidam ſervo* .) Scienter , quo caſu ex Senatuſconſulto mulier ipſa ancilla reddebatur domini ſervi illius , cum quo ſervili amore bacchata ſe commiſcuerat . Ulpianus *in frag. tit. tit. 16. de ſolidi capacitate , §. qui intra illum , & tit. de tutelis , §. maxima* , ibi : “ Aut cum mulier alieno ſervo ſe con- „ junxerit denunciante domino , & ancilla facta fuerit . „ Ex Senatuſconſulto Claudiano , *l. 3. C. Theod. de SC. Claud. l. unic. eod. tit. in Juſtin. l.3. C. de ſervis fugitiv. l. Lucius , ff. depoſiti* , juncto Cujacio *ad eumdem tit. C.* Illuſtrant P. Gregogorius *l.4. ſyntagm. c.3. n.5.* Pichard. Vultejus , Vinnius , & alii Inſtitutarii *in §.1. Inſtit. de ſucceſſ. ſublat.* Sed poſtea tam jure civili , *ex d. leg. unic.* quam ſacro canonum jure abrogatum hoc fuit , & hodie conſiſtit matrimonium inter liberum , & ancillam , ſicut inter liberas perſonas , *cap. 1. & 2. 29. quæſt. 2. cap. 1.* ubi latius dicemus , *de conjug. ſervor.* illa tamen adhibita differentia , quod cum ancilla ita demum matrimonium conſiſtit , ſi uterque conditionis ſervilis non ſit ignarus , *c. ſi quis liber 2. c. ſi femina 5. 29. q.2.* ſed ſi mulier libera nupſit ſervo , aut vir ingenuus ancillam duxerit cum ignorantia ſtatus ſervilis , talis error matrimonium dirimit , *c. ſi quis ingenuus 4. 29. q.2. c. propoſuiſti , de conjug. ſervor.* quia credi non poteſt quemquam matrimonium contracturum cum eo , cum quo liberam cohabitationem , & matrimonii uſum habere non poterat , ut docent late Sanchez l.7. *de matrim. diſp. 17. n. 2.* Baſilius *eod. tr. l. 7. c. 42.*

c *Vindicat* .) Quatenus libera perſona vindicari poſſit , & præcipue conjux a conjuge , expoſuimus *in c.1. de ord. cognit.*

d *Ut ſervo dominus fraudetur* .) Hæc verba deſunt *in d. c. 41. Concil. Later.* & merito ; nam matrimonium jure canonico inter ſervum , & liberam perſonam conſiſtit abſque præjudicio domini , *dicto c. 1. 29. q. 2. c. 1. de conjug. ſervor.*

3 e *Annulos deferentem* .) Sæpe in nuptiarum celebratione annulus intervenit , qui traditur a marito uxori : quod exemplo Thamaris expreſſe conſtat , relato *c.36. Geneſi* : imo ipſa ſubarrhatio per annulum pronubum peculiaris erat in matrimonis , *c. noſtrates 3. c. femina 7. 30. q. 5. l. annulis 3. l. ult. C. de ſponſ.* Tertul. *in apol. c.6.* ibi : „ Aurum nulla noverat præ- „ terquam uno digito , cum ſponſus ſibi oppignoraſſet pro- „ nubo annulo . „ Et *de idolol. c.16.* Iſidorus *l.19. orig. c. 32.* „ *Feminæ* ; inquit , “ non uſæ ſunt annulis , niſi quos virgini „ ſponſus miſerat . Ambroſius *l. 1. de virgin. in vita S. Agnetis* , Chryſologus *t. 5. de duobus filiis* , Plinius *l. 33. c. 1.* Juvenal. *ſatyr. 6.*

Et digito pignus fortaſſe dediſti .

Cujus ritus rationem reddit D. Iſidorus relatus *in d. c. feminæ* , ibi : „ Item quod in primis negotiis annulus a ſponſo „ ſponſæ datur , ſit hoc nimirum vel propter mutuæ fidei ſi- „ gnum , vel propter id magis , ut eodem pignore eorum cor- „ da jungantur : unde & quarto digito annulus idem inſeri- „ tur , quod in eo vena quædam , ut refertur , ſanguinis ad „ cor uſque perveniat : quæ prima ratio , & traditionis an- „ nuli propria eſt ad ſignificandam fidelitatem connubii . „ Solebant enim antiqui plerumque annulo ſignare res ad denotandam fidelitatem , & ut nulla falſitate violaretur , *l. ſignatorii 74. de V. S. l. argumento 25. §. ornamenta , ff. de auro , & argento , l. leg. ad teſtium 22. §. 2. ff. qui teſtament. l. ſi ſoluturus 59. ff. de ſolut. l. 1. §. ſi pecunia , & §. ſi ciſta , l. ſi ſacculariì 29. ff. depoſiti* . Illuſtrant Forner. *l.1. ſelect. c.3.* Donellus *l.6. com. c.8.* ubi Oſualdus *litt. B , & l. 16. c. 14. litt. A.* plura de his annulis , & eorum materia congerunt Tiraq. *in notis ad Alexandrum , libro ſecundo dierum genial. c. 5. & 19.* Covar. *in 4. 2. p. c.4. n.3* Coſtanus *de ſponſ. n.8. & 9.* Sanchez *l.1. de matrim. diſp. 22. n. 2.* Lantdmeter. *l. 2. de veteri mon. c.100.* P. Sherlogus *t.3. in Cantic. veſtig.* 33. D. Nicolaus de Caſtro *in Parag.1. Inſtit. de emption. & vendit. n.* 66. Buleng. *l. 1. de veſtib. Pontif. c.* 37. Baronius *anno Chriſti 57. n.* 52. Leonard. Coqueus *in notis ad D. Aug. l. 3. de civit. Dei , c.* 19. & plura de hoc annulo nuptiali Novarinus *l. 6. aqua nupt. c.* 42. unde ipſa traditio annuli & immiſſio in digitum ſponſæ , ſolemniter factæ probant matrimoninm , *c. tenor , de re judic.* Terentius *in Hecyra , actu 5. ſcena* 3. ubi annulus , quem detraxerat compreſſæ Philomelæ uxori deſponſatæ Pamphilus , inventus in manu Bacchidis , datus eidem a Pamphilo , probavit matrimonium cum Philomela . Et per annuli ſubarrhationem ſponſalia contrahi docetur *in c. ſi quis deſponſaverit 27. q. 2. l. 2. tit. 2. partit.* 4. probant Maſcardus *de probat. concluſ. 1024. n.* 6. Menochius *l. 3. de præſumpt. 2. n.* 11. Sed quia in præſenti ſpecie non fuit probata ipſa ſolemnis traditio annuli pronubi , ſeu ſubarrhatio , ſed tantum annuli

nuli delatio, quæ juxta morem patriæ ex diverſis cauſis provenire poterat, & ideo paſſim multas videmus feminas etiam non conjugatas annulos deferentes, ut in hoc textu refertur, & *in c. penult. de ſponſ.* ideo hujuſmodi annuli delatio non attenditur in præſenti ab Alexandro III.

4 f *Famæ viciniæ.*) Quæ licet per ſe non probet, nec ex ea tantum poſſit judex proferre ſententiam, *cap. tua, de cohabit. cleric. c. inter dilectos, de exceſſ. Prælat.* probavi *in c. per tuas, de probat.* tamen conjuncta cum aliis adminiculis multum juvat, *c. ſi teſtes 4. 2. q. 3. l. teſtium 22. ff. de teſt. c. ſi mala 2. q. 4.* docet late Schaccus *de venerat. Sanctorum l. 9. c. 5.* & in probatione matrimonii multum facit opinio vicinorum, ſicut in agnoſcendis liberis, *c. cum in tua 6. qui matrim. accuſ. l. ſi vicinus, C. de nupt. l. filius 6. C. de his qui ſunt ſui.* Late proſequitur Tiber. Decianus *volum. 1. reſponſ. 1.*

5 g *In lecto, & in menſa.*) Quæ probatio non aliena, imo potius propria matrimonii eſt, ſiquidem uxores legitimæ, tamquam ſociæ divini humanique juris, *l. 1. ff. de ritu nupt.* conjugi aſſident, & menſæ maritalis participes ſunt. Apulejus *l. 6. de Aſino aureo*, ibi: " Accumbebat ſummum torum maritus Pſychen gremio ſuo complexus. ,, Tertul. *l. 2. ad uxor.* *Uxor diſcumbit cum marito in ſodalitiis.* Valerius Maximus *l. 2. c. 1. Feminæ cum viris cubantibus ſedentes cœnabant.*

6 h *Matrimonium eſt.*) Conſonant textus *in c. 2. 27. q. 2. §. nuptiæ, Inſtit. de patria poteſt.* quam definitionem poſt alios exponit Baſilius *de matrim. l. 1. c. 2.* Unde uxor ſequitur domicilium ſui mariti, *l. cum quædam 5. ff. de juriſdict. l. ea quæ, ff. ad municip. l. fin. C. de incolis, l. 10. l. mulierem, C. de dignit. l. 12.* cum quo ſimul cohabitare debet, *l. 1. §. ſi vir, ff. ad Syllan. l. 4. ff. de uſu & habit. §. 2. Inſtit. eod. tit.* docet Oſuald. *l. 12. comm. c. ult.*

7 i *Inſtrumentum.*) Licet tabulæ nuptiales non faciant, vel inducant matrimonium, *l. donationes 31. ff. de donat. l. neque, C. de nupt.* cum & ante nuptias confici ſoleant, & non tam contrahendi nuptias animo, quam alterius rei gratia, ut Pudentilla illa Apuleii *in apolog.* ut liberis ſuis conſuleret, quos avus exheredaverat, niſi illa alteri ſuo filio nuberet, quod reſpuebat illa: " Facit quidem, *inquit*, tabulas nuptiales cum ,, quo jubetur: verum enim vero variis fruſtrationibus nu,, ptias ludit. Quia cum non conficiatur inſtrumentum ſuper matrimonio, ſed ſuper dote, aut donatione propter nuptias, per illud non probatur matrimonium, *l. neque natales, C. de prob. l. non hoc, C. unde cognati, c. inter, de translat. Epiſc.* docent Menochius *d. l. 3. præſumpt. 1. n. 90.* Robertus *l. 2. rer. jud. c. 14. in fine:* tamen nuptiarum præſumptionem tabulæ nuptiales inducunt. Maſcard. *de prob. concluſ. 1026. n. 2.* & magnam eſſe hanc tabularum nuptialium auctoritatem, fatetur Tertul. *l. 2. ad uxorem*, in hæc verba: " Numquid tabulas nuptiales ,, de illo apud tribunal domini proferemus, & matrimonium ,, rite contractum allegabimus, quod vetuit ipſe? ,, D. Ambroſ. *l. 1. de inſtit. virgin. c. 6. Non defloratio virginitatis facit conjugium, ſed pactio conjugalis.* Juvenalis *ſatyr. 6.*

Si tibi legitimis pactam, junctamque tabellis
Non es amaturus.

Et in ſacra Scriptura, dum de matrimonio Tobiæ agitur, *c. 6. v. 16.* legitur; *Et accepta charta fecerunt conſcriptionem conjugii.* Nec contrarium probat Juſtinianus *in authent. ut fratrum filii, §. illud quoque, collat. 9.* ubi docet per inſtrumentum donationis propter nuptias inſinuatum probari matrimonium; Nam reſpondeo, in eo textu ſolum doceri, per tale inſtrumentum probari matrimonium, quoad donationem propter nuptias, reſpectu videlicet ejus, quod principaliter continetur in inſtrumento, juxta textus *in l. optimam, C. de contrah. ſtipul. l. cum aliquis, C. de jure delib.* non autem docetur, ibi probari matrimonium principaliter, de quo non agebatur, tantum enim in eo textu tractatur de modo inſinuandi donationes, & ipſas conſequendi ſoluto matrimonio, ut docent in præſenti Abbas *n. 6.* Immola *n. 3.*

k *Fideliter adimpleverit.*) Quod præſumitur, cum ad id teneatur ex jurejurando, ut nominatim cautum eſt *in c. 1. de fide inſtrum. in 4. collect.* facit textus *in c. ad audientiam 13. de præſcript.* 8

COMMENTARIUM.

In hoc capite refertur, quod cum liber mulier longo tempore in conſuetudine ſervi fuiſſet, & ut uxor cum eo cohabitaſſet, tandem ab eo diſceſſit, quare ſervus eam ut uxorem vindicabat matrimonium probans ex inſtrumento donationis propter nuptias a ſe in eam collatæ vice dotis; item teſtibus, qui aſſerebant eos eadem menſa, & cubili uti, uxoremque annulos ut conjugatam detuliſſe, quibus accedebat fama viciniæ. Uxor vero negabat conjugium fuiſſe contractum, dicebatque, prædictum inſtrumentum donationis fuiſſe confectum in fraudem Domini, & ipſam annulos geſtaſſe ex more patriæ: quia Genuæ, ubi hæc lis tractabatur, mulieres piſtrices etiam innuptæ, annulos geſtant. Quibus perpenſis Alex. III. decrevit ipſam uxorem cogendam eſſe ad maritum redire, cum ipſoque cohabitare. Pro cujus deciſionis explicatione ſciendum eſt, ex ſola cohabitatione maris, & feminæ, etiam diutina, non induci matrimonii præſumptionem, ut probant textus *in c. aliter 30. q. 5. Clem. 1. de conſanguin.* docent Menochius *l. 3. præſumpt. 1. n. 69.* Nec etiam ſufficiunt inſtrumentum dotale, annuli geſtatio, fama viciniæ ſeorſim, & ſigillatim; at vero omnibus illis concurrentibus, matrimonium præſumi ex juris præſumptione, quæ ſufficiens eſt ad proferendam ſententiam; quia multa, quæ per ſe non proſunt, ſimul collecta juvant, ut probatur *in c. litteris, c. 3. loco*, infra *hoc tit. c. præterea, de teſtibus.* Juxta quod principium accipiendus eſt textus *in c. lator, qui filii ſint legitimi*, cujus argumento docent Felinus *in c. per tuas, colum. finali, de probat.* Decius *in c. Eccleſia, n. 39. de conſtit.* relati a Covar. *in 4. 2. part. c. 1. n. 5.* ex viri, & mulieris diutina cohabitatione præſumi a jure Pontificio matrimonium quoad filiorum legitimationem, ut ſuccedere deinde poſſint; quorum doctrina indiſtincte non procedit, ſed concurrentibus aliis adminiculis ſimul cum cohabitatione. Hodie tamen hujuſmodi præſumptiones parum proſunt ad inducendum matrimonium; nec locus eſt deciſioni hujus textus, & *in dict. c. is qui fidem*, ſtante Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. de reform. c. 1.* quo ſancitum eſt, matrimonia non cenſeri legitime contracta, ſed omnia clandeſtina, & ideo nulla, niſi præſente parocho, vel alio ſacerdote de ipſius parochi licentia, adhibitis aliis ſolemnitatibus fuerint celebrata: notarunt Menoch. ubi ſupra, *n. 98.* Mathienzo *in rubric. tit. 1. l. 5. recopil.* Guttierez *l. 1. canonic. c. 18. n. 4.* Sanchez *de matrim. l. 3. diſp. 40. n. 3.* Caniſius *in præſenti.* 9

CAPUT XII.

Idem *Archid.* a *Genuenſi.*

Litteris fraternitatis tuæ receptis nobis innotuit, quod cum *b* P. parochianus tuus ab A. muliere, quam in uxorem acceperat, peteret ſeparari, accuſatores matrimonii produxerunt teſtes firmiter aſſerentes, quod poſtquam mulier cum prædicto viro contraxerat matrimonium, conſanguineum viri ejuſdem ſolum cum ſola, nudum *c* cum nuda in eodem lecto jacentem, ea (ut credebant) intentione, ut eam cognoſceret carnaliter, viderunt multis locis ſecretis, & latebris ad hoc commodis, & horis electis, & publica fama conſentit, quod poſt contractum matrimonium ſe miſcuerunt ad invicem, quod in præſentia tua publice, ut aſſeris, ſunt confeſſi, quamvis & id ſe poſt contractum matrimonium feciſſe negarent. Dicitur quoque de muliere prædicta, quod de marito ſe ſimulans *d* concepiſſe, alienum partum jam baptizatum, ut ferunt, ſe mentita eſt peperiſſe, & rebaptizari faciens, virum ſuum decepit. Procedente vero tempore, cum fama empti alieni partus fraudem detegeret, parentibus a quibus eum emerat, occulte reſtituit, & poſtea veneficum potum, & alias vitæ inſidias viro paraſſe eadem mulier perhibetur. Quia igitur nos duxit tua fraternitas conſulendos, ſi ad diſsolvendum matrimonium prædictæ probationes ſufficiant, conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quod ex hujuſmodi violenta, & certa ſuſpicione fornicationis poteſt ſententia divortii promulgari, & ita quidem, ut vir licentiam habeat mortua illa ducendi aliam: muliere ſine ſpe *e* conjugii remanente.

NOTÆ.

1 a *Genuenſi.*) Ita etiam legitur in ſecunda collectione, *ſub hoc tit. c. 2.* De Eccleſia Genuenſi nonnulla notavi *in c. per veſtras, de donat. inter.*

2 b *Parochianus.*) Ideſt diœceſanus; alloquebatur enim Alexander III. Epiſcopum Januenſem, ſeu Genuenſem, licet plerumque parochiæ appellatione diœceſis comprehendatur, ut jam ſæpe ſæpius notavi in hoc opere.

3 c *Nudum cum nuda.*) Cum adulterium clam, occulte, & abdite plerumque fiat, directe, & ſpecifice probari non poteſt, *l. conſenſum 8. §. ſervis, C. de repud.* Menochius *l. 2. de arbitr. cent. 2. caſu 116. & l. 5. præſumpt. 41.* unde indiciis locus eſt, quæ a noſtris præſumptiones appellantur, & ex his adulterii probatio petenda eſt. Maſcard. *de probat. 57. n. 6.* ut ſi maritus illi, quem de adulterio ſuſpectum habet, adhibitis honeſtæ opinionis teſtibus, ſcripto ter denunciaverit, ut a colloquio, & converſatione uxoris occulta abſtineret; ipſe autem furtivos aditus ad eam non evitet: eſt enim hæc præſumptio juris, & de jure, *novel. 117. c. ult. authent. ſi quis ei, C. ad leg. Jul. de adult.* Menochius *de præſumpt. 41. n. 9.* Everardus *in top. legal. loc. A veroſimili.* Etiam præſumptio veroſimilis naſcitur, quæ veluti certum appellatur indicium *in l. milites 6. §. oportet, C. de q.* ſi ſolus cum ſola in loco ſecreto, & abdito inventus ſit, *c. ne aliqua 27. q. 1.* Menochius *d. præſumpt. 41. n. 11.* Maſcard. *concluſ. 59. n. 10.* Farinac. *tit. de delict. carnis, q. 136. n. 24.* Item ſi vir cum alterius uxore per nemora, & vias occultas ſimul convagantes reperiantur. Farinac. *d. q. 136. n. 153.* Proſequitur alia indicia adulterii perpetrati Bocerus *de adulterio, c. 4.* His indiciis

diciis veroſimilibus, & probabilibus adulterium certo non probatur, proinde ad ordinariam pœnam non ſufficiunt: adulterium quippe dici non poteſt, niſi realis concubitus maris, & uxoris alienæ interceſserit: proſunt tamen indicia hæc ad extraordinariam pœnam. Menochius *de præſumpt. 41. numer. 15. & lib. 1. præſumpt. 97. num. 25.* proſunt etiam ad torturam, ut poſt alios docet Bucerus *dict. cap. 4. num. 20.* quin etiam Menochius *dict. præſumpt. 41. num. 13.* Maſc. *de prob. concluſ. 59. n. 10.* Miſyngerus *reſponſ. 1. n. 28. & 35.* exiſtimant ſufficere actori ſeparationem, & dotis amiſſionem. Moventur auctoritate textus *in c. præterea, de teſt.* & præſentis deciſionis. Verum non recte, cum propter præſumptionem non poſſit infligi pœna ordinaria, ut ſequenti commentario probabimus. Nec favet ei textus *in dict. cap. præterea*, in cujus ſpecie conſtabat, commiſſum fuiſse adulterium: verum quoniam dubitabatur, num ſola fama copula probari poſſit, Pontifex reſcripſit, quod ſi teſtimonium de viſu perhibeatur, vel etiam de auditu, & præſumptionem fama ſubminiſtret, aliaque adminicula extent, ſtandum eſse juramento eorum, qui depoſuerunt, adulterium commiſſum fuiſse. Minus ſuffragatur contrariæ ſententiæ præſens textus, in cujus ſpecie non fuit facta tori ſeparatio ob violentam præſumptionem, ſed quia commiſſum adulterium fuerat, ut omnium erat una vox, & quod ambo in lecto deprehenſi, libere faterentur ante nuptiarum ſolemnia rem ſimul habuiſse. Acceſſerunt etiam ſuppoſitio partus, propinatio potus venefici, quæ per ſe cauſam divortio præbebant, ut conſtat ex integra hujus textus hic compilata. Unde his omnibus penſatis, Alexander divortii ſententiam quoad torum pronunciavit, quia non tantum de præparatoriis, verum de ipſo adulterio, & machinatione conſtabat; docet Germonius *l. 1. animadv. c. 18. per tot.*

d *Concepiſſe.*) Quod mulieres frequenter faciunt, ut jam notavi *in c. per tuas, de prob.*

e *Conjugii maneat.*) Conſonant textus *in c. uxor 12. c. ſi vero 32. qu. 7.* Cum enim propter adulterium tantum quoad torum matrimonium diſſolvatur, vinculo manente, *c. Apoſtolus, cum ſeq. ead. qu.* ſuperſtite nocente innocens aliud inire connubium non valet, nocens vero in pœnam delicti admiſſi, nec defuncto nocente poteſt novas contrahere nuptias, ut probavi *in can. 9. Concilii Illib.* 4

CAPUT XIII.

Innoc. III. *Nivernen. Epiſcopo, & Archid. Bituricen.*

Litteras veſtras recepimus continentes, quod cum cauſa, quæ vertebatur inter ven. f. n. *b* Altiſſiod. Epiſcopum, & quoſdam *c* Burgen. de Charitate, quos idem Epiſcopus de hæreſi impetebat, vobis, & dil. fil. Abbati Callonii a Sed. Ap. delegata fuiſſet, utraque pars tandem, ut negotii prolixitas poſſet facilius expediri, vos duos ſub certa pœna ſibi *d* arbitros ſtatuerunt, delegata vobis poteſtate nihilominus reſervata; Vv. autem lator præſentium, unus ex illis, quos præfatus Epiſcopus impetebat, hæreſim ſuam apud Charitatem fuerat publica voce confeſſus, & de quodam fratre ſuo ſimiliter recognoverat, qui eodem ſecum laborabat errore. Qui cum de fide ſua coram ven. f. n. *e* Bituricen. conveniretur Archiepiſcopo, eique purgatio facienda per eundem Vv. qui vere credens, & catholicus credebatur, eſſet indicta, tunc ipſe Vv. fratrem ſuum, quem publice aſſeverarat hæreticum, præſtito juramento catholicum eſſe firmavit, & ſic a præfato Epiſcopo contraria proponebatur dixiſſe. Unde ab ipſo & perjurius, & hæreticus *f* cenſebatur. E contrario vero idem Vv. propoſuit, quod licet de ſe publice confeſſus fuiſset, nihil tamen de fratre fuerat confeſsus: unde bene poterat illum purgaſse, maxime cum a duobus capellanis de Albiniaco, qui conſcientiam illius noverant, audiviſset, quod tamquam catholicum poterat illum ſecure purgare: quorum litteras poſtea vobis oſtendit. Sed Epiſcopus ſuper eo, quod de fratre negaverat, protinus eum per ſe ipſum, & unum presbyterum, & alium diaconum coram vobis convicit. Unde ipſum relapſum in hæreſim appellabat. Vos igitur has in prædicto Vv. contrarietates notabiles attendentes, ipſum cum litteris veſtris ad noſtram præſentiam tranſmiſiſtis, boni ejus interim annotatis, donec de perſona ejus, & bonis, quid ſtatuendum foret, ſtatuere curaremus: adjicientes, quod cum idem Vv. apud vos cum quibuſdam inſtaret, ut purgationem reciperetis ipſius, ſicut aliorum quorumdam, vos juramentum ejus, quia ſibi contrarius videbatur, admittere noluiſtis; purgatione tamen pro eo per viii. manum bonorum virorum admiſsa. Quia vero vulpeculæ, quæ moliuntur vineam Domini demoliri, ſagaci ſunt ſtudio capiendæ; nam vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos: nos ex iis, quæ ſcripta ſunt, prædictum Vv. ſuſpectum de hæreſi vehementer *g* habemus, tum quia quod ante dixerat, poſtea ſe dixiſse negavit, ſicut convictus eſt coram vobis, tum quia vel mendacium prius dixit in fratrem, aſserendo illum hæreticum, vel perjurium poſtea commiſit in Deum, purgando illum de hæreſi, quorum utrumque reddit illum valde ſuſpectum: quamquam veroſimilius videatur, quod eo tempore, quo tamquam pœnitens vere ab hæreſi vertebatur ad fidem, tam grave mendacium non dixiſset, præſertim in fratrem, quem utique tamquam chariſſimum non aſseruiſset hæreticum, niſi fuiſset accenſus zelo orthodoxæ fidei; unde præſumitur, quod cum poſtea purgavit illum, turpiter pejeravit. Quocirca diſc. v. p. A. ſ. m. quat. cum propter ſolam ſuſpicionem, quamvis utique vehementem, nolimus illum de tam gravi crimine condemnari, talem, & tantam ſecuritatem recipientes ab ipſo, præter juratoriam cautionem quod timore pœnæ temporalis debeat coerceri, diſcretam ei pœnitentiam injungatis, ex qua valeat apparere, utrum in tenebris ambulet, an in luce; utrumve ſit vere pœnitens, an ficte converſus: & ſi eum hoc modo verum catholicum cognoveritis non ſinatis, ipſum indebite moleſtari. Alioquin eum tamquam hæreticum condemnetis.

NOTÆ.

1 a *Nivernenſi.* Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. c. 1.* Niverntum, vulgo *Nevers*, provinciæ ſuæ caput, antiqua civitas Galliæ eſt, ad ripas Ligeris ſita, nomen accepit a Niveri fluvio, ut poſt Cæſarem *l. 7. cap. 10.* refert Papirius Maſonius *in deſcript. Galliæ per flumina fol. 31.* Habet Eccleſiam Cathedralem D. Cyro dicatam, cujus hiſtoriam, & Præſulum ſeriem referunt Chenu *in Chron. Gallia*, Fratres Samart. *t. 3. Gall. Chriſt. fol. 790.* Ipſius Eccleſiæ Epiſcopo Rodulpho, de cujus electione agitur *in c. congregato, de elect.* miſsa eſt præſens decretalis. De Eccleſia Bituricenſi jam plura adduxi *in c. fin. de majorit. & obed.*

2 b *Altiſſiodoren. Epiſc.*) Hugonem videlicet de Nocris, qui magno fervore Fidei Catholicæ adverſus hæreticos de Charitate propugnator fuit, ut refertur in hiſtoria Epiſcoporum Altiſſiod. edita a P. Labeo *tom. 1. Bibl. noviſſ. fol. 472.* his verbis. (Veruntamen fidei catholicæ aſsertor erat magnificus, eoque circa illam fervore ardebat, ut ad capiendas vulpeculas, quæ demoliuntur vineam Domini Sabaoth, & hæreticis dogmatibus degenerare faciunt in labruſcas, tota vigilantia laboraret, contra quos, ac Nobiles diœceſis ſuæ, de Charitate videlicet, eo accingebatur ferventius, quo hæreticorum ibi amplius furere cognoſcebat errorem; tantaque animi conſtantia hæreticos ibi perſequutus eſt, quod quidam ex eis per diverſas diœceſes publicam agentes pœnitentiam ad gremium matris Eccleſiæ, abjurata hæreſi, ſalubriter ſunt reverſi: alii pertinaciores in ſalutis ſuæ diſpendium, in Italiam, vel ad Albigenſes, ad ſui erroris complices confugerunt, terræ nativitatis ſuæ, & propriæ cognationis extorres: ſic quoque in eo profecit negotio, ut hæreticorum malleus non immerito diceretur.) Altiſſiodorenſis, ſeu Antiſſiodorenſis, eſt urbs Galliæ ſuper Icaunam fluvium ſita, in Burgundionibus, de qua Ammianus Marcel. ait: " Julianus ab Auguſtoduno Antiſſio,, dorum pervenit, inde ad Tricaſſinos. ,, Habet Eccleſiam Cathedralem D. Stephano dicatam, cujus hiſtoriam, & Præſulum ſeriem referunt Frat. Sammart. *t. 2. Gall. Chriſt. fol. 266.* De ejus Præſule agitur in præſenti.

c *Burgenſes de Charitate.*) Locus iſte ſitus ſuper Ligerim fluvium eſt in Epiſcopatu Altiſſiodorenſi, ita dictus a charitate, quam Cluniacenſes monachi erga pauperes, viatoreſque exercebant. Gerardus Fraſques *in vita RR. Pontif.* ad Joannem XXII. ſcripta, ubi de hoc oppido ita loquitur: (Anno Henrici Imperatoris XIII. fundata eſt nobilis nunc, & famoſa valde Eccleſia S. Mariæ de Charitate, in quo loco requieſcit Gerardus Prior ejuſdem conſtructor Eccleſiæ.) Tradit Papirius Maſonius *in deſcript. Galliæ per flum. fol. 43.* Hildebertus Cenomanenſis in vita S. Hugonis Abbatis Cluniac. *Ingreſſus itaque cellam B. Mariæ, quæ dicitur de Charitate.* Et Petrus Cluniac. *l. 11. ep. 39.* ad Calojoannem Byzantinum Imp. " Cluniaco monaſterio, omnibus Latinis Regibus, & gentibus notiſſimo, eique ſubdito magno, & religioſo loco, qui Cha,, ritas dicitur, monaſterium juxta ipſam Regiam civitatem, ,, quod Civitas vocatur, dedit, & in perpetuum Abbatis ,, Cluniacenſis, & Prioris de Charitate obedientiæ ſubjecit. ,, Et Greg. IX. *in c. de ſacroſancta, de elect.* ibi. *Cluniacenſi, & de Charitate Prioribus dumtaxat exceptis.* De Burgenſibus nonnulla jam notavi *in c. Abbas, de his quæ vi.* Cum ergo Altiſſiodorenſis Epiſcopus diœceſim ſuam viſitaret, perquiſitione facta de hæreticis degentibus in oppido Charitatis. Lucius Titius incola ipſius oppidi, cum ab hæreſi reſipuiſset, & errorem ſuum palam in Eccleſia confeſſus eſſet, fratrem ſuum quaſi eodem errore imbutum nominavit, ac declaravit ſed poſt reconciliationem idem negavit, fratrem ſuum hæreſi aſperſum eſſe; nec ipſum ut hæreticum nominaſſe. Cum ex hac revocatione præſumere- 3

tur falſus pœnitens, & perjurius, cum juramento negaſſet fratrem ſuum tamquam hæreticum nominaſſe, conſultus fuit Innocentius III. an tamquam hæreticus Lucius Titius damnandus eſſet ex hac violenta præſumptione? Et reſpondet Innoc. III. ipſum tamquam hæreticum damnari non poſse, injungendam tamen eſſe illi acerbiorem pœnitentiam.

4 d *Arbitros.*) Plerumque enim in ipſos judices ordinarios, ſeu delegatos compromiſſum fit, quod jure hoc Pontificio admiſſum eſt, *c. niſi eſſent*, 21. *de preb. c. 7. & 12. de arbitris*, ubi notavi: quatenus tamen in cauſa criminali compromitti poſſit in præſenti ſpecie, jam expoſui *in c. cauſa, verbo Criminali, de in integr. reſtit.*

5 e *Bituric. Archid.*) Qui procedebat aut tamquam Vicarius Epiſcopi, aut tamquam ordinarius Vicarius Epiſcopi, juxta adducta *in cap. ad hac, de offic. Archid.* vel ut delegatus Pontificis.

6 f *Hareticus cenſetur.*) Propter revocationem enim hæreticus pro impœnitenti habetur; unde revocans confeſſiones factas judicialiter, qui ſine tortura confeſſus fuit crimen hæreſis, tamquam hæreticus impœnitens, quamvis non præceſſerit plena teſtium probatio, relaxandus eſt. Rojas 2. *p. de heretic. aſſer.* 25. Farinac. *q.* 196. *n.* 20. & *q.* 187. *n.* 75. Cantera *in q. de haret. n.* 69. & 70. Inſtruct. Hiſpal. *c.* 15. Nam per confeſſionem delictum plene probatur, ut jam illuſtravi *in c.* 1. *de confeſſis*; & per revocationem reus fit impenitens, & negativus, *c. ad abolendam*, §. *præſenti, de haret.* Palac. Rubius *in allegat. pro haretico*, §. 8. & in hoc caſu ſtatur primæ depoſitioni, *auth. contra, C. de non n. pecun.* Gratianus *t.* 1. *diſcept.* 109. *n.* 4. Caſtillo *l.* 3. *controv. c.* 18. *per tot.* Solorz. *t.* 2. *de jure indiar. l.* 1. *c.* 27. *nu.* 51. & 59. Cevallos *t.* 3. *q.* 803. *n.* 6. Guazinus *in defenſione reor. cap.* 16. *nu.* 5. Simanchas *de Cathol. tit.* 64. *n.* 56.

g *Habuimus.*) Pontifex enim in præſenti, vel conſultus proceſſit, vel per viam appellationis interpoſitæ ab Epiſcopo, vel Archidiacono Bituricenſi. In noſtra tamen inquiſitione Hiſpana jam privilegiis Sedis Apoſtolicæ, & conſuetudine introductum eſt, ut nullo modo in cauſis fidei appellatio interponatur ad Romanum Pontificem, inconſulto Hiſpaniarum Rege, ut variis bullis, & exemplis probat late Salgado *de retent. bullar.* 2. *p. c.* 33. *ex n.* 84.

COMMENTARIUM.

7 IN his tribus deciſionibus una fere ſtatuitur ſententia circa damnationem rei tantum ob vehementem, vel violentam præſumptionem; & communiter repetentes in earum expoſitione non conſentiunt, imo in tres diverſas ſententias diſtrahuntur; aliqui enim affirmant, reum criminis ob præſumptionem, ſeu argumenta, vel indicia damnandum non eſſe, imo potius abſolvendum. Ita docuerunt Ant. Gomez *l.* 3. *c.* 12. *n.* 25. Jul. Clarus *recept. ſent.* §. *fin. q.* 20. *n.* 5. plures congeſti a Sarmiento *l.* 1. *ſelect. c.* 1. Fachineo *l.* 1. *controv. c.* 29. qui nituntur ſequentibus fundamentis. Primo *ex l. abſentem, ff. de pœnis*, ubi ait Conſultus. " Sed nec ſuſpicionibus debere aliquem damnari, D. Trajanus Severo reſcripſit, ſatiuſque eſſe impunitum relinqui facinus, quam innocentem damnari. " Secundo adducunt textum *in l. qui ſententiam, C. de pœnis*, ubi aperte probatur ad penalem ſententiam non aliter perveniri poſſe, niſi reus fuerit confeſsus, vel probationibus clariſſimis convictus. Conſonat textus *in c. nos in quemquam*, ibi: " Sententiam ferre non poſſumus, aut in convictum, aut ſponte confeſſum. 2. quæſt. 1. " quia reus damnari non poteſt niſi ſtante plena, & evidenti probatione, quam vulgo dicimus luce meridiana clariorem, *lege Imperator* 74. *ff. de legat.* 1. *l. ult. C. de probat. c. ſciant cuncti* 2. *q. ult.* Sidonius *l.* 1. *ep.* 11. " Perinjurium eſt ſententiam purpurati tribuere privatis ſimultatibus, ut innocens ac ſecura nobilitas propter odia certa crimine incerto periclitetur. " Menochius *de arbitr. caſu* 279. & 499. Farinac. *de reo confeſſo, q.* 86. Plaza *de delictis, c.* 19. *n.* 15. Igitur ex indiciis tantum, & præſumptionibus damnari non debet. Facit etiam pro eorum ſententia, quod ex vehementi præſumptione non major, quam ſemiplena reſultat probatio, juxta textum, quem ſic intelligunt noſtri *in c. ult. de jurejur.* ibi: *Præſumptione faciente pro actore.* Ergo. Succedit regula textus *in l. qui accuſare, C. de edendo, l. actos, C. de prob.* videlicet, quod actore non probante reus abſolvitur. Facit etiam textus *in c. afferre* 2. *hoc tit.* ubi cum agatur de violenta præſumptione, ob quam Salomon adjudicavit alteri mulieri filium; nullam penam mulieri poſuit, quæ plagio tenebatur ob puerum ſubreptum: ergo quia ex præſumptione, & indiciis nulla imponitur pœna. Alii mediam eligunt ſententiam, & affirmant, ex indiciis, & præſumptionibus reum non pœna ordinaria, ſed extraordinaria eſſe plectendum. Ita docuerunt Tiraq. *de pœnis temper. caſu* 27. *n.* 2. Menochius *de præſumpt. caſu* 279. *n.* 4. alii congeſti a P. Barboſa *l.* 2. *in princ. nu.* 77. *ff. ſolut. matrim.* Sarmientus *d. c.* 1. Guazinus *in defenſ. reor. defenſ.* 30. *c.* 41. plures quos refert & ſequitur Baſilice *deciſ.* 1. *crim. per tot.* moti auctoritate hujus textus, ubi ob vehementem etiam præſumptionem non punitur quis pena ordinaria, ut hæreticus, ſed tantum arbitrio judicis pœna relinquitur, *c. inter ſolicitudinem, de purg. can. c. accedentes*, §. *ſi vero, de accuſ. c. ſignificaſti, de adult. c. cum de hoc, de ſimonia, c. cum contumacia, de haret. in* 6. ubi reus ob indicia & argumenta non punitur pœna ordinaria; & ideo dum tranſcriptam legimus legem ultimam, *C. de probat.* in lege 26. *tit.* 1. *p.* 7. omiſit ſapiens Rex, *indubitata indicia.* Alii tandem rectius docent, ex præſumptione violenta puniri reum pena ordinaria. Ita tenuerunt Ant. Matthæus *de crim. tit.* 15. *de probat. c.* 6. Morla *in empor. tit. ult. q.* 1. Fornerius *l.* 1. *rer. quotid. c.* 26. plures congeſti a Cenedo *collect.* 127. Et in delictis occultis ob indicia indubitata penam ordinariam infligi poſſe tenuerunt Farinac. 3. *p. praxis, q.* 86. *n.* 55. Hier. Leon. *l.* 2. *deciſ.* 125. Silva *l.* 1. *reſponſ.* §. 9. *n.* 25. Cevallos *reſol. crimin. caſu* 288. *ex n.* 6. Azevedo *in l.* 4. *tit.* 6. *l.* 8. *Recop.* Marquez *l.* 2. *Gubern. c.* 17. Carena *de offic. Inquiſit.* 2. *p. tit.* 12. §. 32. Boſſius *de patria poteſt. c.* 3. *ex n.* 75. Larrea *alleg.* 66. Barboſa *in l.* 2. *ff. ſolut. matrim. p.* 1. *n.* 87. & 89. & *in rubric. p.* 2. *ex n.* 75. Jul. Clarus *recept. ſent.* §. *fin. q.* 20. *n.* 57. Peguera *deciſ.* 17. 43. & 44. nam ſimilia indicia conſtituunt plenam probationem; *c.* 1. *de homicid. l.* 6. *l. ubi falſi, C. ad l. Corn. de falſ. l. Divus, verſ. ſed ſi aliter, ff. de q.* Valenzuela *conſil.* 28. *n.* 11. Giurba *conſil.* 43. *n.* 22.

8 Pro qua ſententia faciunt textus *in l.* 3. *C. Theod. de abolit.* ex qua deſumpta eſt lex ultima, *C. de prob.* ubi aperte docetur, poſſe crimina vel idoneis teſtibus, vel apertiſſimis documentis, vel indiciis indubitatis probari: quod etiam docetur *in l.* 2. *C. quorum appel.* in illis verbis: " obſervare curabis, ne quis homicidarum, beneficorum, maleficorum, adulterorum, itemque eorum, qui manifeſtam violentiam commiſerunt, argumentis convictus, teſtibus ſuperatus, voce etiam propria vitium, ſceluſque confeſsus, audiatur appellans. " Præterea *in l.* 1. §. *idem Cornelio, ff. de q. l.* 5. §. *in barbaris, ff. de re milit. l. ubi falſi* 22. *C. de falſis*, diſerte argumentis quoque vis probationis tribuitur. Deinde quia ſæpius legimus nonnullos unico indicio, & argumento damnari, ut *in l.* 28. *C. Theod. de haret. l.* 1. §. *Divus, ff. ad l. Cornel. de ſicar.* ibi: " Si gladium ſtrinxerit, & eo percuſſerit indubitate occidendi animo id eum admiſiſse. Etiam ſi termini moti ſint, & quæratur de dolo, ſi quidem ſplendidiores ſint qui fecere, non dubie occupandorum finium cauſa feciſse cenſentur. " Et *l.* 4. *ff. de termino moto*: & *in novella* 117. *c. ult.* docetur, ut ſi quis poſt tres denunciationes ex ſcripto factas a marito, cum uxore ejus inventus fuerit hoc ſolo indicio ex lege Julia de adulterio damnatur; & *in l. ſi qui* 34. *C. de adult.* dicitur, quod ſi qui adulterii fuerint accuſati; & poſtea proximitatis obtentu nuptias cum depulſa contraxerint, facinus eos manifeſta fide, atque indiciis evidentibus publicaſse cenſentur. Cui præſumptioni conſentit Martialis *epigr.* 16. *l.* 4.

Privignum non eſſe tuæ te, Galle, novercæ
Rumor erat conjux dum fuit illa patris.
Non tamen hoc poterat vivo genitore probari:
Jam nuſquam pater eſt, Galle noverca domi eſt,
Magnus ab infernis revocetur Tullius umbris,
Et te defendat Regulus ipſe licet:
Non valet abſolvi: nam quæ non deſinit eſſe
Poſt patrem, numquam, Galle, noverca fuit.

Et *lib.* 12. *epig.* 22.

Quod nubis, Proculina, concubino,
Et mœchum modo, nunc facis maritum,
Ne lex Julia te notare poſſit;
Non nubis, Proculina, ſed fateris.

Et ob ſolam ſuſpicionem adulterii poſse mulierem accuſari docetur *in l. quamvis* 30. *C. de adult. l. uxor, C. de repud. c.* 3. *de adult. c. dixit Dominus* 32. *q.* 1. Unde Quintil. *declamat.* 184. de adultero Sacerdote ait: " Sed finge me ex ſuſpicione egiſse cum illo adulterii: nempe damnatus caruiſset ſacerdotio. " Idque Cajo Cæſari contigiſse memorat Plutarchus in ejus vita: hic enim cum forte Pompejam uxorem repudiaſset ob ſuſpicionem ſtupri noctu cum Clodio in ſacris bonæ Deæ commiſſi; cumque teſtis in reum ipſe citatus, nihil ſe eorum, quæ objecta fuerant, noſse reſpondiſset, interrogavit accuſator: Cur ergo uxorem tuam repudiaſti? At ille; Quoniam, inquit, meam nec ſuſpicionibus quidem obnoxiam eſse oportere cenſui. Ita etiam quandoque criminum ſuſpicionem pariter, ut ipſa crimina vitari jura curarunt, *l.* 2. *l. civili* 5. *C. de furtis, l.* 2. *C. Theod. de famoſis libel.* ubi pro illis verbis: *Addicationem publicam*, recte reponit Fornerius *lib.* 1. *rerum quotid. c.* 26. *Ad vindicationem publicam*: id eſt vindicta, ut plerumque hæc vox accipitur *l. his ſolis* 7. *C. de revoc. donat.* Faciunt etiam pro ea ſententia textus *in c. de hoc, de ſimonia*, ubi deficiens in purgatione, ob præſumptionem tantum punitur pena ordinaria, *c. porrecta*, §. *cum igitur, de confirm. utili*, ubi ex ſola præſumptione religioſi, aut falſarii puniuntur, *c. contumacia, de haretic. in* 6. ubi ex violenta præſumptione hæreticus damnatur, *l. jubemus, Cod. de prob.* ubi qui edit ſcripturam falſam: niſi probaverit eam veram eſse, punitur, ut falſarius, *l. fin. C. ſi mancipium ita fuerit.* Faciunt etiam Quintil. 5. *inſt. orat.* 12. ibi: " Firmiſſimis argumentorum ſingulis inſtandum, infirmiora congreganda ſunt, quia illa per ſe fortiora non oportet circumſtantibus obſcurare, ut qualia ſunt, appareant. Hæc imbecilla natura mutuo auxilio ſuſtinentur. Itaque ſi non polsunt valere, quia magna non ſunt, valebunt quia multa ſunt, quæ ad ejuſdem rei probationem ſpectant, ut ſi quis hæreditatis gratia hominem occidiſse dicatur. Hæreditatem ſperabas, & magnam hæreditatem, & pauper eras, & tum maxime a creditoribus appellabaris, & offenderas eum, cujus hæres eras, & mutaturum tabulas ſciebas. Singula levia ſunt, & communia: univerſa vero nocent etiamſi non ut fulmina, tamen ut grandines. *Idem c.* 9. Signum eſt, per quod alia res intelligitur, ut per ſanguinem cædes. At quia ſanguis, vel ex hoſtia reſperſiſse veſtem poteſt, e naribus profluxiſse, non utique qui veſtem cruentam habuerit, homicidium fecerit: ſed ut per ſe non ſufficit, ita ceteris adjunctum teſtimonii loco ducitur, ſi inimicus, ſi ante minatus, ſi eodem loco fuerit. Quibus ſignum, cum acceſſit, efficit ut quæ ſuſpecta erant, certa videantur. *Cicero in Topicis*: Eſt etiam genus argumentorum aliud, quod ex facti veſtigiis ſumitur, ut telum, cruor, clamor editus, turbatio, permutatio coloris, oratio inconſtans, tremor, & eorum aliquid, quod ſenſu percipi poſſit; etiam ſi præparatum aliquid, ſi communicatum cum aliquo, ſi poſtea viſum, auditum, indicatum, veriſimilia autem partim ſingula movent ſuo pondere, partim etiamſi videntur eſſe exigua per ſe, multum tamen cum ſunt coacervata, proficiunt. " Idem, ſeu quivis auctor eſt 4. *Rhetor.* ad Heren. " Ejuſdem generis eſt illa frequentatio, quæ plurimum conjecturalibus cauſis opitulatur, cum ſuſpiciones, quæ ſeparatim dictæ, minutæ, & infirmæ erant, unum in locum coactæ, rem videntur perſpicuam facere, non ſuſpicioſam. " Idem 11. *de orat.*

9 *Ampliatur vera ſententia.* In hoc Interpretum diſſidio, & jurium varietate, ut certa ab incertis ſeparemus, ſciendum eſt, præſumptionem triplicem eſſe, levem, vehementem, & violentam. Gloſsa *verbo ſuſpicio, in c. oves* 6. *q.* 1. & eodem verbo *in c. dixit Dominus*, 32. *q.* 1. & *verbo Cum damnatur, in cap. excommunicamus* 11. §. *qui autem, de hæreticis*, Simanchas *de Cathol. titul.* 50. *n.* 20. Penna *in notis ad Eymericum*, 2. *p. comment.* 8. Albertinus *de agnoſc. haret. q.* 23. *num.* 61. Præſumptio levis eſt, quæ vulgo ſuſpicio dicitur, ex modicis, & levibus conjecturis orta. Præſumptio vehemens eſt, quæ vulgo dicitur ſuſpicio magna, ex gravibus argumentis concepta, de qua agitur in præſenti. Ejus varia exempla refert Eymericus *ubi ſupra, quaſt.* 55. Præſumptio violenta tamen appellatur, quæ eſt juris, & de jure, & ab apertis, & violentis indiciis lege confirmatis proficiſcitur; unde contra eam non admittitur probatio, ſed pro manifeſta veritate habetur, *cap. is qui fidem, de ſponſ. l.* 1. §. 1. *Cod. de rei uxor. act.* Signa ex quibus hæc præſumptio naſcitur, congeſſit Eymericus *ubi ſup. q.* 55. quibus ſuppoſitis aſſerendum eſt, ob levem præſumptionem, ſeu modicam ſuſpicionem neminem damnari, quia cum hominis ſalus, aut exiſtimatio in diſcrimen adducitur, non temere, levibus indiciis, non vanis rumoribus fides adhibenda eſt, quibus etiam falſa ſæpe jactantur; non denique ſuſpicionibus adſentiendum, quæ nihil aliud ſunt, quam opiniones rerum incertæ, ut Arnobius ait *l.* 2. *adverſus Gentes*, ibi: *Et ſuſpicio in alieno pectore eſſe dicitur, præſumptiones vero ex re ipſa ducuntur.* Eleganter ad rem Plautus *in Trinummo.*

Ne admittam culpam, ego meo ſum pronus pectori.
Suſpicio eſt in pectore alieno ſita.
Nam nunc ego ſi te ſurripuiſſe ſuſpicer
Jovi coronam de capite e Capitolio,
Quod in culmine aſtat ſummo: ſi id non feceris,
Atque id tamen lubeat ſuſpicarier
Qui tu prohibere me potes ne ſuſpicer?

Et proinde maritus lenocinii crimine teneri dicitur, ſi uxorem non de adulterio ſuſpectam, ſed in ipſo ſcelere deprehenſam in matrimonium retinuerit, *leg.* 2. *C. ad leg. Jul. de adult.* inde etiam eſt, quod ſecundum Tullium Caſſiodorus *l.* 1. *var. ep.* 13. Siculæ gentis naturam damnat, ut quæ facilior ad querelas, etiam de ſuſpicionibus accuſare ſoleat. Regulariter ergo ex levi præſumptione nemo damnandus eſt, *c. multi* 2. *q.* 1. D. Thomas 2. 2. *qu.* 60. *art.* 3. Ob vehementem vero præſumptionem pœna ordinaria reus affici poteſt, ex juribus ſupra pro tertia ſententia adductis.

10 *Reſpondetur fundamentis contrariis.* Nec obſtant fundamenta primæ & ſecundæ ſententiæ. Non textus *in d. l. abſentem.* Nam reſpondetur, in eo textu non affirmari, neminem ex præſumptione eſſe damnandum, ſi præſumptio violenta ſit, indubitata, & talis, quæ non poſſit deficere: ſed tantum affirmari, ex ſuſpicionibus ſententiam proferri non poſſe, cum ſuſpicio nihil aliud ſit, quam conjectura ſumpta ex levibus indiciis, ut tradit D. Thomas 2. 2. *q.* 60. & illuſtrant P. Barboſa *ubi ſup.* Nec etiam obſtat textus *in d. l. qui ſententiam, d. c. nos in quemquam*, ubi dicebamus, in convictum, vel confeſſum tantum ſententiam proferri poſſe. Nam jam ſupra oſtendimus, ex præſumptione violenta probationem perfectam, & manifeſtam oriri: unde tamquam in convictum apertis, & manifeſtis indiciis judex animadvertit. Nec etiam favet auctoribus contrariæ ſententiæ textus *in d. c. afferte*, cui duplici modo reſponderi poteſt. Primo, *in l.* 3. *Regum, c.* 3. unde ſumptus eſt textus *in d. c. afferte*, tantum factum Salomonis referri, ex quo mira ejus ſapientia oſtendebatur, & commendabatur: quid vero poſt illud judicium ſequutum fuerit, non refertur, quia ex condemnatione mulieris non ita arguebatur Regis magna ſapientia, ut docuit Sarmiento *d. c.* 1. *n.* 8. Secundo reſpondetur, mulierem plagiariam in ea ſpecie condemnari poſſe, quia altera mulier illam non accuſabat, ſed tantum civiliter agebat ad filii reſtitutionem, ut docent in eo textu Panormit. *n.* 6. Anton. *n.* 7. Sarmiento *ubi ſup.* P. Barboſa *in d. l.* 2. *n.* 82. Nec etiam illis favet præſens textus, quia Innocentius in eo non agit de præſumptione violenta, ſed de præſumptione vehementi, quæ non ſufficit ad proferendam ſententiam, quia non ex magnis, ſed ex levibus ſignis, & conjecturis, atque ſuſpicionibus deſumitur, idque manifeſte conſtat ex illis verbis: *Propter ſolam ſuſpicionem, quamvis vehementem.* Docuit gloſſa verbo *Vehementem*, quam ſequuntur Panormit. *n.* 5. Felinus *n.* 21. & 22. Nec in eadem ſpecie hæreſis contrarium probat *in l.* 2. *C. de haretic.* ubi ex levi argumento hæreſis probatur. Nam dupliciter reſpondeo. Primo ibi ſufficere leve argumentum quoad facultatem inquirendi, non vero ut pro hæretico quis habeatur, ut docet Gloſſa *ubi ſupra*, quam ſequuntur Panormit. *n.* 8. Felinus *n.* 22. Secundo in eo textu appellari leve argumentum illud, quod licet grave eſſet: non tamen facile probari poterat. Nec obſtat textus *in d. c. præterea.* Nam reſpondendum eſt, Pontificem in eo non appellare præſumptionem violentam eam, quæ inſurgit ex fama publica conjuncta cum teſtimonio viſus, vel auditus, atque aliis adminiculis; non tamen docere, præter famam, & alia adminicula debere intervenire præſumptionem violentam, & poſt prædictam præſumptionem, famam deſiderari, quia hoc repugnaret omnibus ſupradictis. Nec obſtat etiam textus *in d. c. inter ſolicitudines.* Nam reſpondetur, præſumptionem, de qua ibi, non fuiſſe ſufficientem ad imponendam pœnam ordinariam delicti, quia non erat violenta: imponitur tamen pœna extraordinaria, non quia ea imponenda ſit, quando de delicto non conſtat, juxta tradita a Sarmiento *d. lib.* 1. *c.* 1. ſed quia ipſamet præſumptio crimen erat, ex quo reus potuit damnari, licet a crimine principali abſolveretur: conſtat enim *in d. c. inter*, clericum illum abſolutum fuiſſe a crimine principali hæreſis, merito tamen ipſum puniri pœna extraordinaria ob aliud crimen, quo arguebatur, videlicet excommunicationis cum hæretico, quod per ſe punitione dignum erat. Nec tandem obſtat textus *in d. c. accedentibus, c. ſignificaſti, c. cum hoc, c. cum contumacia.* Nam accipiendi ſunt de præſumptione vehementi, non vero de violenta, ob quam certum eſt, juxta ſupra tradita, non poſſe pœnam ordinariam infligi.

C A P U T XIV.

Idem a *Cenadien. Epiſcopo, & Abbati de Cikedor.*

CUM in juventute ſua ven. f. n. C. Quinqueccleſienſis Epiſcopus adeo ſe maturum, honeſtum, & providum exhibuerit, ut propter ſuavem ſuæ probitatis ardorem ab Eccleſia Romana meruerit ornamento *b* pallii decorari, non eſt de levi credendum, quod poſtquam ad *c* ſenilem pervenit ætatem, turpiter abjecerit jugum Domini fœtores, & fæditates libidinis amplexando, cum labes hujuſmodi, quæ nonnunquam in *d* juventute contrahitur, in ſenectute frequentius expietur. Quis præterea de facili crederet, quod vir præditus ſcientia *e* litterarum, propriæ ſalutis oblitus, ad eam paſſionis ignominiam ſe converteret, ut cum propria *f* nepte abominabilem perpetraret inceſtum; cum etiam ſecundum ſententias ethnicorum naturale fœdus inter tales perſonas nihil permittat ſævi criminis *g* ſuſpicari. Licet igitur *h* Rex Hungariæ eundem Epiſcopum nobis interdum per nuncios, & litteras de tali crimine detuliſſet, ſuppliciter poſtulans, & inſtanter, ut malum hujuſmodi pernicioſo exemplo de Hungarica Eccleſia tolleremus; quia tamen ejus ſuggeſtio non de charitatis radice, ſed ex alio fomite procedere videbatur, cum ipſum tamquam inimicum perſequi non ceſſaret, ſicut eſt in tota provincia manifeſtum, noluimus aures noſtras quaſi malignis delationibus *i* inclinare: ſed ut probaremus ſpiritum, ſi eſſet ex Deo, bon. mem. Gerien. Epiſcopo dedimus noſtris litteris in mandatis, ut prudenter ac caute a Coepiſcopis indagaret, utrum præfatum Epiſcopum crederent tali labe reſperſum: qui nobis poſtmodum reſcripſerunt, quod eum virum honeſtæ converſationis eſſe credebant, perſonam illius multipliciter commendantes.

N O T Æ.

1 a CEnadien.) Ita legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. c.* 2. & *in c. cum in juventute, de purgat. can.* ubi extat alia pars hujus decretalis, & in epiſtolis Innocentii III. ubi *l.* 1. *ep.* 12. *regeſtr.* 13. refertur præſentis caſus exitus, & finis. Cenadienſis, vel Canadienſis Epiſcopatus eſt Hungariæ, trans Danubium, ſub Archiepiſcopo Collocenſi, vulgo dicitur *Chonad*, ut referunt Boſquetus *in d. ep.* 12. Cironius *in c.* 2. *de poſtul. Prælat. in* 5. *compil.* Monaſterium autem Cikedor, ut legitur in dicta epiſtola 12. Innocentii III. eſt Ordinis Div. Benedicti in diœceſi Quinqueccleſienſi: ejus Abbati, & Epiſcopo Cenadienſi miſit præſentem epiſtolam Innocentius III. anno 9. ſui pontificatus, non 17. ut voluit Bzovius *in eodem anno*: & poſtea anno 13. Pontificatus ſui aliam ſcripſit, quæ ita habetur in ejus *regeſtr.* 13. *l.* 1. *ep.* 12.

Cenadienſi Epiſcopo, & Abbati de Cikedor, Quinqueccleſienſis diœceſis.

Cum in juventute ſua venerabilis frater noſter C. Quinqueccleſienſis Epiſcopus, adeo ſe maturum, honeſtum, & providum exhibuerit, ut propter ſuavem ſuæ probitatis odorem ab Eccleſia Romana meruerit ornamento pallii decorari: non eſt de levi credendum, quod poſtquam ad ſenilem pervenit ætatem, &c. Require ſupra in regeſtro noni anni ejuſdem Domini Innocentii III. Papæ. Datum Ferentini nonis Julii, in eundem modum per totum, uſque Non duximus iterandum. Cum & chariſſimus in Chriſto filius noſter A. Rex Hungarorum illuſtris, cum per ſuas litteras valde nobis reddiderit commendatum, aſſerens, &c. uſque Præcipiendo mandamus, quatenus cum per Epiſcopum ipſum non ſteterit, quominus purgaverit ſemetipſum, quando purgationem curavit offerre, non ut ratum haberet, quod a nuncio ſuo fuerat procuratum, ſed ne mandatum Apoſtolicum contemnere videretur, non ſinatis ipſum ulterius occaſione prædicti mandati ab aliquo moleſtari. Sed ſi videritis contra eum ſtudia concinnari maligna, non permittatis ipſum iniquis machinationibus conculcari. Quia vehementer præſumimus ex veriſimilibus conjecturis, quod aliqui contra eum invidia torqueantur, dejectionem ipſius, exaltationem propriam æſtimantes: ſignificaturi nobis, cum expedire videritis, de ſingulis circumſtantiis veritatem. Datum Later. vii. Idus Martii, Pontificatus noſtri anno tertiodecimo.) Et licet eiſdem Pralatis, & per eadem verba reſcribat Innocentius in exordio utriuſque epiſtolæ; non tamen inde inferas, eſſe eandem Epiſtolam diverſas in partes ſecatam: prorſus enim diverſæ ſunt. Quod facilius percipietur, ſi præſentis cauſæ hiſtoriam referamus.

2 *Caſus refertur.* Andreas Hungariæ Rex, Epiſcopum Quinqueccleſienſem, qui jam ob impenſos in Eccleſia labores a Sede Apoſtolica pallio decoratus fuerat, inceſtus cum nepte commiſſi detulit Innocentio III. ſed Aurienſis, ſeu Agrinenſis Epiſcopus, cui a Pontifice cauſa commiſſa fuerat, eum inſigni caſtitate præditum, virum utique providum, & probum eſſe, Pontifici ſignificavit: ſed adhuc Innocentius III. paterna correctione Quinqueccleſienſem Epiſcopum admonuit, unde de cetero a prædictæ neptis familiaritate ſe abſtineret. Quibus monitionibus obtemperans, ſobrieque vivens, in Archiepiſcopum Strigonienſem poſtulatus fuit, quibuſdam renitentibus. Unde iterum coram Innoc. III. prædictum inceſtus crimen illi objectum fuit. Epiſcopi procurator bono zelo, ignaro Epiſcopo, ejus nomine purgationem indici poſtulavit, quam Innocentius indixit, licet obteſtans, imprudentem eſſe, cum ſuffraganei Strigonienſis, Metropolis poſtulationi contradicerent, & Archiepiſcopus Collocenſis ſuper jure Metropolitico cum Strigonienſi Præſule litem haberet; unde cum non eſsent alii Epiſcopi in Hungaria, eos non legitime purgationem ſuſcepturos Innocentius agnoſcebat. Verum Epiſcopus Quinqueccleſienſis non ex eo ratam habens procuratoris ſui petitionem, ſed ne mandato Apoſtolico contraire videretur, ſeſe purgandum obtulit, nec per eum ſtetit, quominus purgationem ſubiret; unde juſſit Innocentius III. in relata epiſtola 12. eiſdem judicibus delegatis, videlicet Cenadienſi Epiſcopo, & Abbati de Cikedor, ne prædictæ delationis cauſa prædictum Epiſcopum moleſtari paterentur; quoad poſtulationem vero ad Strigonienſem Eccleſiam, conſtat poſtulatos poſtea fuiſſe Cenadienſem, & Nitrienſem Epiſcopos, *ex c. 2. de poſtul. Prel. in 5. compil.* ubi ait Honorius III. “ Duabus poſtulationibus, una videlicet de ven. f. n. Cenad. reliqua vero de ven. f. n. Nitrien. Epiſcopis: in Strigon. Eccleſia celebratis, cum nullam earum invenerimus eſſe canonicam, & in tanta contradictione non conſueverit fieri poſtulatio, quæ ſi etiam concorditer fieret, plus gratia, quam jus requirit admitti, neutram de f. n. conſilio duximus admittendam. „

3 b *Pallii.*) Quod nonniſi exigentibus meritis ſolet ab Eccleſia Romana concedi, *c. priſca, c. contra morem, c. rationis* 100. *d.* Et licet proprie Archiepiſcopis competat, *c. quoniam, eod. d. c. ad hoc, c. cum ſis, de auctor. & uſu pal. c. antiquæ, c. ad Apoſtolicæ, de præbend. in 6.* tamen ſingulari Pontificis beneficio plerumque Epiſcopis ob magna illorum merita concedi legimus apud Gregorium II. *ep.* 2. & alios congeſtos *in c. 1. de auctor. & uſu pal.* Unde recte Innoc. in præſenti Epiſcopi Quinqueccleſienſis ſobrietatem, morumque probitatem commendat, & probat ex eo, quod ob ejus inclyta merita Romana Eccleſia pallium illi conceſſerit.

4 c *Ad ſenilem.*) Hoc etiam argumento uſus eſt Quintil. “ declamat. 300. Nihil mihi objectum eſt in etate prima. *Et* declam. 380. Quare quid commiſit, ante actam vitam exſcrutemur. „ Ratio hujus præſumptionis redditur a D. Ambroſio relato *in c. in ſalicibus 57. de pœnit. d. 1.* ubi Sanctus Doctor agens de pœnitentia ita ait, *Tunc enim maxime urgemur, cum caro cedit.* Quibus in verbis innuit, tunc pœnitentiam urgere, cum carnis illecebræ deficiunt. Conſtat autem tunc maxime eas deficere, cum quis ad ſenilem pervenit ætatem; tunc enim ſenectus futuræ incontinentiæ ſuſpicionem aufert: verba ſunt Pelagii relati *in c. fraternitatis*, 34. *d.* Faciunt Seneca *declam.* 2. ibi; *Adoleſcens luxurioſus peccat, ſenex luxurioſus inſanit.* Tullius *l. 1. de offic. Luxuria cum omni atati ſit turpis, ſenibus maxime eſt fœdiſſima.* Ovidius:

Militat in teneris animis amor, hoſpes amœnus;
Eſt in canitie ridiculoſa venus.
Exultat levitate puer, gravitate ſenectus:
Inter utrumque manens ſtat juvenile decus.

Sive propter frigiditatem, quæ (ut inquiunt Galenus *l. 5. de ſanitate tuenda, pag.* 7. Ariſt. *l. 7. hiſtor. animal. c. 3. in fine.* ſenilis corporis ſtatum comitatur; ſive ob alias rationes, quas cumulant Tiraq. *l. 6. connub. per tot.* Sanch. *l. 7. de matrim. diſp. 32. & 92.* unde *in c. cum ſit 4. c. ad Apoſtolicam 13. c. ſignificavit 18. de converſ. conjug.* ita demum conjugi permittitur religionem ingredi, ſi conjux quæ in ſæculo remanet, ſenex ſit, in qua nulla incontinentiæ ſuſpicio datur.

5 d *In juventute contrahitur.*) Ferventem juvenum impetum, ad mala proniſſimum, præcipue ad luxuriam, eleganter expreſſit D. Baſilius *in c. 3. Iſaiæ*, his verbis: “ Eſt adoleſcentia perquam levis, & ad flagitia quæque apprime mobilis, ut ſunt indomitæ, & effrænes concupiſcentiæ belluinæ, & immanes iræ, linguæ incontinentia, contumeliæ, arrogantia, faſtus ex animi elatione; reliquæ item affectiones juventuti vernaculæ, & coalumnæ, invidiæ ob exſuperantem alterius eminentiam, ſuſpiciones propter contractam familiaritatem: examina enim innumerabilium vitiorum ſe agglomerant, & adjungunt juventuti. *Lepide Horatius* de arte Poetica.

—— *Juvenis, cuſtode remoto,*
Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper,
Utilium tardus proviſor, prodigus æris,
Sublimis, cupiduſque, & amata relinquere pernix.

Et in juventute pudicitiam, ſobrietatemque ſectari, ut rarum, & admirandum, vix credi affirmat Sidonius *l. 9. ep.* 2. proinde exclamat Caſſiodorus *l. 2. ep. 1.* “ Hoc eſt profecto difficillimum regnandi genus, exercere juvenem in ſuis ſenſibus principatum: rarum omnino bonum eſt, dominum triumphare de moribus, & hoc conſequi in florida ætate, ad quod vix creditur cana modeſtia pervenire. „ Et Salomon *in Proverb. c. 7. verſ.* 22. De juvene verborum aucupio a meretrice capto ſic inquit: “ Statim eam ſequitur, quaſi bos ductus ad victimam, & quaſi agnus laſciviens, & ignorans, quod ad vincula ſtultus trahatur, donec transfigat ſagitta jecur ejus, velut ſi avis feſtinet ad laqueum. „ Facit D. Ambroſius *l. de interpellat. Job, c.* 7. exponens illud, „ Quare obſcripſiſti adverſum me mala, & appoſuiſti mihi adoleſcentiæ peccata, *ait*: Pulchræ id ætatis arripuit ad querelam, quæ magis ad vitium lubrica eſſe conſuevit. „ D. Auguſtinus *ſerm.* 246. Quare Majorianus Cæſar *novel. de ſanctimonialibus*, prudenter hortatur vitandas eſſe, & magnis attentionibus tranſeundas humanæ cupiditatis illecebras, in qua præcipue primæ ætatis ardor impellit; quippe decernente Concilio Toletano 4. *can.* 23. prona eſt omnis ætas ab adoleſcentia in malum: quod præclare protulit Moyſes *Geneſ. 8. verſ.* 21. *Senſus*, inquit, *& cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua.* D. Hieronymus *ep. 2. ad Nepot.* “ Adoleſcentia inter incentiva vitiorum, & carnis titillationes, quaſi ignis in lignis viribus ſuffocatur, ut ſuum non poſſit explicare fulgorem. *Ideoque Plato in Eutiphrone:* Conſentaneum, *inquit*, eſt primam de ipſis juvenibus curam ſuſcipere, ut quam optimi evadant, quemadmodum decet agricolam novellarum plantarum primam curam gerere. „ Plura congeſſerunt Altamirano *in l. 3. c. 4. n. 12. C. de filiis offic.* Savarus *ad Sidon. l. 1. ep. 2. verbo juvenili*, & *l. 2. ep. 4.* & *l. 7. ep. 2.* Buſeus *de ſtatib. hominum, verbo Adoleſcentia.* D. Ant. de Feloaga *in c. 1. de his quæ vi, ration. 5.* Theophil. *t. 11. tr. mala e bonis Eccleſ. l. 1. ſect. 1. c. 6.*

6 e *Litterarum.*) Secunda præſumptio, quam Innocentius III. expendit pro Epiſcopo Quinqueccleſienſi, illa eſt, quod de facili non credatur virum litterarum ſcientia præditum, propriæ ſalutis eſſe immemorem, ad eamque paſſionem verti, ut cum propria nepte nefarium perpetraſſet inceſtum: quæ verba ita accepit Barboſa *de poteſt. epiſc. alleg. 46. n.* 3. quia litterati præſumuntur a vitiis ſe abſtinere; cujus ſententiæ, etſi ipſe nullam aſſignet rationem, elegans tamen ex eo reddi poteſt; nam quanto magis qui ſcientia pollet, eo majorem habere intelligitur notitiam peccati, & pœnarum, quæ ipſi correſpondent; unde quemadmodum qui plus de pœna intelligit, eo magis a peccato deterretur; ita Epiſcopus iſte, quia vir erat præditus ſcientia litterarum, eo magis propriæ ſalutis oblitus non creditur, ut cum propria nepte perpetraret inceſtum, quo magis pœnas delicto impoſitas agnoſcebat; licet ex fragilitate nonnumquam & litterati inhoneſti ſint. Facit textus *in c. in noſtra 4. de proc.*

7 f *Nepte.*) Sed cum neptis illa dicatur, quæ ex filio, vel filia noſtra naſcitur, *leg. Juriſconſultus 10. §. 2. ff. de gradibus, l. Gallus 29. ff. de liber. & poſthum. l. avus 33. ff. de pactis, §. ult. Inſtit. de patria poteſt.* videtur deduci, Epiſcopum Quinqueccleſienſem in juventute non caſte vixiſſe, ſiquidem filium procreavit, ex quo neptem ſuſceptam domi retinebat. Quam difficultatem nullus ex Interpretibus expendit, nemoque ex eis diſſolvit; credo tamen reſponderi poſſe, neptem in præſenti non accipi pro filia a filio procreata, ſed pro filia fratris, quam vulgo ſobrinam dicimus. Nec novum eſt, ut filius fratris nepos dicatur, ut jam notavi *in c. 1. de arbitris.*

8 g *Suſpicari.*) Quæ verba reperiuntur *in leg. eum qui, verſ. ult. C. de Epiſcopis & clericis*; non tamen ad eam reſpexit Innocentius, cum ejus auctores ſint Theodoſius, & Honorius, non Ethnici, ſed Catholici Principes. Referendus ergo eſt Innoc. ad alias Ethnicorum auctoritates, quas dabimus *in cap. penult. de cohabit. cleric.* Illud tamen in præſenti notandum eſt, non prohiberi Epiſcopo cum nepte cohabitare, quia ſenex erat, alias ſi juvenis eſſet, nec cum nepte liceret ei cohabitare, *c. 1. de cohabit. cleric.*

h *Rex*

9 h *Rex Hungariæ.*) Sed ſi præſentia Regis habetur pro ſufficienti probatione, & ſupplet defectum ſeptem teſtium in teſtamentis, *leg. omnium 19. Codic. de teſtamentis, leg. 5. titul. 1. partit. 6.* quare in præſenti ſpecie fides non adhibetur aſsertioni, ſeu delationi Principis? Sed reſpondetur, ex littera hujus textus conſtare, Regem Hungariæ Epiſcopo Quinqueccleſienſi infeſtum, inimicumque fuiſse, unde cum teſti inimico fides non adhibeatur, ut ſæpe ſæpius probavi *in tit. de teſtibus*; ideo in præſenti inimico, quantumvis regali dignitate præfulgenti, fides non adhibetur.

10 i *Inclinare.*) Sed cur ad præſumptiones recurrit Innocentius, ſiquidem conſtabat, ipſam denunciationem, ſeu delationem de charitatis radice non procedere, *c. licet Heli, de ſimonia, c. cum oporteat, c. meminimus, de accuſ.* Sed reſpondetur in præſenti ſpecie ipſius Regis delationem famam comitari; unde propter infamiam indicta fuit purgatio, *c. cum in juventute, de purg. can.* & ut veritatem inquirerent, ſupradictis judicibus Innocentius noſter cauſam commiſit.

CAPUT FINALE.

Idem a *Archidiacono, & Præpoſito de Secam, Subd. noſtro Canonico Mediolan.*

DUdum bon. mem. Archid. Mediolan. dedimus in mandatis, ut dil. fil. C. *b* ſcholarem a presbytero S. Victoris xl. Martyrum, qui ſolus in ipſa Eccleſia miniſtrabat, in qua ſicut ſcholaris idem aſſeruit, quondam miniſtraverunt clericus, & ſacerdos, in clericum, & fratrem ejuſdem Eccleſiæ recipi faceret, cujus facultates idem ſcholaris proponit nullatenus *d* imminutas; ſed presbyter memoratus ipſius Archid. examen malitioſe declinans, I. clericum ad noſtram præſentiam deſtinavit, cui & præfato C. ven. f. n. *e* Tranen. Archiepiſcopum, Ap. Sed. L. tunc Subd. & Capellanum noſtrum dedimus auditorem, coram quo dictus I. aſſeruit, quod nequaquam ſufficiebant duobus clericis facultates Eccleſiæ memoratæ, adjiciens quod prædictus C. non erat idoneus ad illius Eccleſiæ beneficium obtinendum. *Et infra*: Cauſam vobis duximus commendandam, ita ut ex illa clauſula, ſcilicet; Si perſona fuerit idonea; quæ in noſtro reſcripto reperitur inſerta, idem ſcholari probandi ſe idoneum nulla neceſſitas imponatur, cum prima facie præſumatur *f* idoneus, niſi alibi *g* contrarium oſtendatur.

NOTÆ.

1 a I*Dem.*) Ia etiam legitur in tertia collectione, *ſub tit. de verb. ſign. c.* 9. ex qua textum tranſcribo. De Eccleſia Mediolanenſi nonnulla adduxi *in c. cum adeo 17. de reſcript.*

b *Scholarem.*) Alteſsera in præſenti accipit ſcholarem pro litterarum ſtudioſo, ſeu profeſsore: ut in inſcriptione capitis *in cauſis, de proc. c. paſtoralis, de fide inſtrum.* apud Matthæum Pariſium *ad annum* 1169. ibi: “ Gallicana Eccleſia ponente partes ſuas, ſeu ſcholaribus diverſarum provinciarum æqua lance negotium examinantibus. „ Sed verius credo, ſcholarem in præſenti accipi pro clerico, & miniſtro ipſius presbyteri, qui illi in cantu, & aliis officiis Eccleſiaſticis opem ferebat, de quo *in c. 1. de celebr. Miſſar.* ibi: *Per ſe, vel per ſcholarem*: *c. ut presbyter, de vita & honeſt. cleric.* de quo ſcholari plura dabimus *in c. 1. de celebr. Miſſar.*

c *Clericus, & ſacerdos.*) Ideſt in minoribus conſtitutus, & presbyter, *c. clericus ſi ſine gradu, de vita & hon. cleric.*

d *Imminutas.*) Unde nec minui debebat cultus divinus, ſeu numerus miniſtrorum, juxta ea, quæ adduximus *in c. cum omnes 6. de conſtit.* alias diminutis ſtipendiis, juſte præbendarum reductio fieri poterat.

e *Tranenſem Archiepiſcopum.*) Tranum, vulgo *Trani*, eſt civitas in Apulia, cujus Archipræſul Eutychius ſubſcripſit Concilio Romano 3. ſub Symmacho.

2 f *Præſumatur idoneus.*) Conſonant textus *in c. unic. de ſcrutin. c. ſi quid, 86. diſt. l. cum pater, §. rogo, ff. de legat. 2. l. ſervus 20. l. teſtamento 55. ff. de manumiſſ. teſtam. leg. omni modo, in princ.* ubi Gloſsa *verbo Licet, C. de inoffic. teſtam.* late illuſtrant ultra congeſtos a Barboſa, & Garanna *in præſent.* Eſcobar *de purit.* Barboſa *de edict.* per me laudati *in dict. c. unico.* Homo enim ex ſui natura bonus præſumitur, juxta D. Th. 1. 2. *q.* 62. *art.* 1. & *quæſt.* 63. *art.* 1. Facit Philoſophus *l. 2. Ethic. c.* 1. ubi ait: *A natura ipſa omnia virtutum ſeminaria nobis inſita eſſe.* Unde Gloſsa ordinaria exponens verba illa Matthæi “ c. 4. Circuibat Jeſus totam Galilæam, *inquit*: Docens naturales juſtitias, caſtitatem ſcilicet, & humilitatem, & ſimilia, quæ homo naturaliter habet. „ Illuſtrat Menochius *l. 5. præſumpt.* 1. Unde merito Innocentius in præſenti docet, clericum idoneum præſumi, & ipſam præſumptionem idoneitatis eſse violentam, transferreque onus probandi in adverſarium, quia omnis homo bonus præſumitur. Nec obſtat, hanc clauſulam, *ſi eſt idoneus*, de qua in hoc textu, reddere gratiam conditionalem, ac per conſequens gravare clericum eam probare, & verificare. Nam dupliciter reſpondetur: primo ſpeciale eſse, ut impetrator reſcripti non teneatur ad verificanda in reſcripto comprehenſa, etiam in forma conditionis, quando pro illis habet intentionem fundatam juris præſumptione, ſed onus probandi contrarium incumbit neganti, quia ſufficit reſcriptum verificari vere, vel præſumptive quoad gratiam, ut docuerunt in præſenti Panormit. *n.* 5. Felinus *n.* 1. Anton. *n.* 3. Secundo reſpondetur prædictam clauſulam, *ſi eſt idoneus*, non reddere gratiam conditionalem, quia talis clauſula potius importat monitionem, & modum, quam conditionem; & ſi non exprimeretur, cenſeretur adjecta, juxta textus *in c. cum adeo 17. de reſcriptis, c. cauſam 8. de elect. leg. quamquam 62. ff. de ritu nupt.* docet Barboſa *de clauſulis, clauſ.* 151. unde ſuccedit vulgare principium, quod quando conditio exprimitur, quæ tacite ineſt, non reddit actum conditionalem, *leg. mutuo, § ſub conditione, ff. de tutel. l. 3. ff. de legat.* 1. Nec etiam huic deciſioni obſtat textus *in c. ſi forte* 11. juncta Gloſſa 1. *de elect. in* 6. ubi ille, cui opponitur de idoneitate, tenetur eam probare, alias repellitur a beneficio. Nam reſpondetur, intrinſeca, quæ inſunt a natura, videlicet quod quis eſt caſtus, ſobrius, laudabilis converſationis, & honeſtæ vitæ, præſumuntur, *c. ſicut Chriſtus 75. q.* 1. de qua idoneitate accipiendus eſt præſens textus. Quædam vero eſt idoneitas extrinſeca, veluti quod quis ſit Clericus, legitimus, nobilis, ætatis legitimæ, quod ſcit legere, & cantare, & ſimilia, quæ ad clericum ſpectant: & hæc idoneitas non præſumitur etiam in ſcholare, qui nuper ex ſchola prodiit, quidquid velit Cujacius in præſenti: imo ſi opponitur alicui defectus ſcientiæ, ſubjicitur examini, ut *in d. c. ſi forte.* Ratio eſt, quia natura non facit artem, ſed diſponit ad artem, *c. ex ſtudiis, hoc tit. lege Stichus 12. leg. legatis 65. §. ornatricibus, ff. de legat.* 3. docent in præſenti Panormit. *n. 6. & 7.* Baldus *n.* 4. Felinus *n.* 2. Immola *n.* 3. Anania *n.* 6.

g *Contrarium.*) Licet tanta vis nonnunquam præſumptionum ſit, ut vix in contrarium probationes admittantur, *c. 2. de reſtit. ſpol. c. veniens 15. c. ad id 21. c. pen. de ſponſ. c. per tuas 6. de condition. appoſit. c. quia* 10. *hoc tit.* quibus caſibus lex non tantum præſumitur, ſed de præſumpto decernit, & tamquam re comperta, ſtatuit, ut in exemplis *ex c. vidua 4. infra de regul. c. quod interrogaſti 6. d. c. veniens ad nos 15. c. ad id quod 21. c. is qui ſinem* 30. infra, *de ſponſal.* ubi Barboſa; *c. per tuas* 6. infra, *de condit. appoſit. c. 3. de hæretic. in 6. l. qui hominem 36. §. ſi Titium, ff. de ſolut. l. ult. §. ſin autem, C. de arbitr. tutel. l. ult. in fine, C. ad SC. Macedon. l. antiqua 13. C. ad SC. Vellej. novel. 22. Juſtin. c. 10. in verſ. Placuit enim nobis, novel. 39. c. 1. in verſ. ſi enim; novel. 136. c. 5. in verſ. Uſura*: notat Cujacius *in d. novel.* 21. ſæpe ſæpius tamen contra præſumptionem probatio admittitur, etiamſi ea a jure recepta, & prodita ſit, maxime ſi ita in jure recepta eſt, ut ei ſtetur, donec contrarium probetur, ut in præſenti textu, *& in l. chirographum 24. & ſequenti, l. qui teſtamento 27. ff. de præbend. l. generaliter 28. § ſi petitum, ff. de fideicommiſſ. liber.* juxta quæ principia accipiendi ſunt textus *in c. fraternitatem, 54. diſt. c. ſi quis clericorum 11. q. 3. c. vidua 27. q. 2. c. vidua, de regul. c. ad id, c. is qui, de ſponſ. c. per tuas, de condition. appoſ. c. inſuper, qui matrim. accuſ. c. de hoc, c. inſinuatum, de ſimon. l. ult. C. ad Maced. l. ult. C. arbitrium tutel.*

TITULUS XXIV.

De jurejurando.

a CAPUT PRIMUM.

b Gregorius III. *Univerſis Chriſtianis.*

EX adminiſtrationis, &c. Quoniam igitur creditores ad uſuras ſibi ſolvendas in manifeſtum periculum animarum juramento debitores adſtringunt, nos eorum ſaluti volentes juxta debitum officii noſtri proſpicere, & iniquum gravamen a debitoribus removere, & illis præcipue, qui ſe, vel auxilium dederint ad ſuccurſum Terræ *c* Hieroſolymitanæ præſtandum, univ. v. mandamus, quat. creditores ipſos ad juramenta ſuper uſuris ſolvendis præſtita relaxanda, *d* ſublato contradictionis, & ap. ob. *e* diſtrictionis eccleſiaſticæ ſeveritate cogatis.

NOTÆ.